DE

ACEPHALIS SIVE MONSTRIS CORDE CARENTIBUS

DISSERTATIO

ACADEMICA ANATOMICO PHYSIOLOGICA

AUCTORE

ERNESTO ELBEN.

CUM XXII TABULIS LITHOGRAPHICIS.

BEROLINI MDCCCXXI.

TYPIS LUDOVICI QUIEN.

LECTIS TYPIS EDITUM
BEROLINI MDCCCXXI

CUM XXIII TABULIS LITHOGRAPHICIS

FRANZ
DOCTORE

ACADEMICA ANATOMICO PHYSIOLOGICA

DISSERTATIO

CARPENTARIUS
ACEPHALIS SIVE MONSTRIS CORDE

DE

VIRO

ILLUSTRISSIMO GENEROSISSIMO EXPERIENTISSIMO

CAROLO CHRISTIANO DE KLEIN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, POTENTISSIMO WUERTEMBERGIAE

REGI A CONSILIIS RERUM MEDICINALIUM, NOSOCOMIORUM URBIS STUTTGARTIAE CHIRURGO SUPREMO, ORDINIS IMPER. RUSSICI ST. WLADIMIRI EQUITI SOCIETATIS ARTIS OBSTETRICIAE AMATORUM ET PHYSICAE GOETTINGENSIS SODALI, PHYSICAE JENENSI ET MEDICORUM HELVETIAE CORRESPONDENTIUM, NEC MINUS VETTERAVIENSI QUAE HAGENOAE FLORET, HONORIS TITULO ADSCRIPTO, PHYSICAE MEDICAE ERLANGENSIS SODALI PER EPISTOLAS EXTRANEO CET.

PATRONO ET FAUTORI SUO PRAE CETERIS COLENDO

VIRO

TUM ERUDITIONIS LAUDE CELEBERRIMO

TUM PROBITATE AC FIDE

MAXIME CONSPICUO

HASCE LITTERARUM SUARUM PRIMITIAS

QUA PAR EST REVERENTIA AC DEVOTIONE

D. D. D.

UNAQUE

GRATIAS QUAM POTEST MAXIMAS PRO SUMMIS

IN SE MERITIS

PIE REFERT

AUCTOR.

Praefatio auctoris.

Quaecunque a naturali vel a normali quam dicimus via decedunt, hominem ut omnino, ita illum praesertim, naturae qui studet indagare leges, vi quadam sacra alliciunt, ut quae nobis pateant saepius derelinquere obscura inviaque petere cogamur. Est in rerum natura investiganda lex gravissima, qua ex vitiosis morbosisque sana optime cognoscuntur, quem igitur campum latiorem, quam uberiorem inveniret aream studio anatomes ipsiusque physiologiae deditus, quam doctrinam de monstris, quae dicuntur. Eminent inter haec acephala, quae quum rarius observentur, magna nos admiratione movent. Sicuti ornithorhynchos olim illas mammalium quadrupedumque leges ab aevorum auctoritate immutavit, solaque tantos ciebat tumultus, sic hic etiam formas atque vitae invenimus modos qui omnia illa trita atque sancita paene evertere quasi videntur. Consuevimus, fateor, in illis animalibus, quae necdum vera illa vita brutorum gaudent, organa desiderare animalibus perfectioribus plane necessaria, desunt sensibilitatis organa, infimis abest cor totius vitae origo, attamen in vase aliquo magno vis propellendi succum vitalem collecta videtur, sed in molluscis iam cor apparet validum, iam ganglion primum maius cerebri loco sentiendi exercere functiones percipitur, atque protinus ipso in homine, in infante usque ad decimum paene mensem evoluto, cui organa sua formandi nisus aderat, cui certa illa forma concessa hominis tantum propria omnem praeter opinionem vitia occurrunt, quae nullo modo ne quidem intelligere nedum explicare possumus. Saepius videtur in fœtu nimis magna vel ipsa sic dicta supervacua pars, quod quantum proprius naturae sit humanae quam vitium, de quo nobis est disserendum facile probant opiniones

sententiaeque Graecorum Romanorumque de his prolatae. Sic Aristoteles magnus ille rerum naturae scrutator haec in libro suo enarrat: *Περὶ τὴς γενέσεως τῶν ἀρρενων καὶ τῶν θηλειων καὶ διὰ τινὰ αἰτίαν, „Δημοκρίτος μὲν ὲν ἐφεσε γίγνεσαι τα τέρατα διὰ τὸ δυο γόναν πιπτειν“ τὴν μὲν πρωτεραν ὡρμησασην τὴν δὲ ὕσεραν καὶ ταύτην ἐξελθυσην εἰς τὴν ὑσεραν ἐλθειν, ὡσε συμφυεσαι καὶ ἐπαλλάττειν τὰ μερέα.*

Pluribus talibus opinionibus proferendis nec suus hic locus est, satque per se etiam sunt notae. Hoc tantum elucet, monstrosa per excessum rationi ut ita dicam humanae magis appropinquare, quam generalibus illis, quae ex singulorum multitudine colligere studemus, magis conniventia. Succedunt his partium vel foetuum conjuntciones a norma aberrantes, at hic praesertim disquisitio anatomica accuratior ratioque viam iam sibi aliquomodo struxere. Mira vero, multoque magis diligentia continua digna sunt monstra, quibus partes desunt, ceterum in foetubus praesertim humanis maxime constantes. Adsunt in illis quae nobis ad formam evolvendam, quae ad vitam continendam nobis necessaria esse videntur. Sua iam exseruerat munia unaquaeque pars et quamquam alienae hic exigantur leges, quam quas regnantes percipere solemus, tamen aliquae semper hic explicandi nobis restat via. Multo vero difficilius est, ubi partes absunt graves, augescit difficultas in legibus naturae indagandis humanasque facultates paene supergredi videtur, ubi vitae sedes cor una cum cerebro medullaque spinali animalium perfectiorum partes insignes in humana praesertim forma absunt; hic concentus totus quasi diremtus, quae necessaria esse videbantur ad evolvendas atque producendas partes in acephalis perceptas, hic plane evanuere.

Veteres cum Graecorum Romanorumque scriptores perscrutamur, paene nihil tali de monstro acephalo invenimus. Plures fuere auctores inter Graecos, qui satis de monstris rebusque inauditis scripserint, atque ipsi hi tamen acephali non meminere, quod si umquam illis visum auditumve fuerit certe monstri huiusmodi Dis inferis superisque ut ita dicam invisi non fuissent obliti; verisimile igitur mihi esse videtur, capite carentia quae notiora jam nobis occurrunt iis forsan multo rariora et certe valde ignota fuisse. Sic Plinium tantum videamus, ardens cuius

in rebus investigandis studium Vulcaneae tandem exstinxere ignes, ille qui immensa cum doctrina omnia veterum collegit monumenta nil tali enarrat de re; excipias certe quod Lib. V. docet:

Blemmyis traduntur capita abesse ore et oculis pectori affixis.

Plinius igitur qui inaudita tanti habuit, certe hanc ad fabulam verosimiliorem efficiendam, tale monstrum silentio non praeteriisset. Sic Augustinus in Lib. de civit. Dei cap. 8. qui acephala certe viderat, vel saltem de iis audiverat, haec de Blemmyis censet:

Id esse verum posse, neque mirum videri oportere, si quemadmodum in singulis quibusque hominum gentibus quaedam monstra sunt hominum, ita in universo genere humano quaedam monstra sint gentium.

Testem affert Augustinus Vopiscum in Probo (pag. 239.)

„Blemmyas, inquit, etiam subegit, quorum captivos Romam transmisit, qui mi-
„rabilem sui visum stupenti populo Romano praebuerunt.“

Haec duobus nixa auctoribus, per se quamquam dictu sunt indigna, tamen acephalorum exempla prioribus defuisse probare videntur. At capitis non solum absentia sed ipsum cor deficiens numquam invenerunt, quod certe faciliori modo explicandum ab anatome tunc rarius exercita foret; sic Aristoteles ubi de partibus docet animalium, haec habet:

Καρδίαν μὲν ὐν ὐδεν πωποτε ἐγενετο ζωον μη ἐχον, σπληνα δὲ ὐκ ἐχον καὶ δυο ἐχον καὶ νέφρον ἑνα, ὴπαρ δε και ὐκ ἐχον μεν ὐδενα ὐκ ὁλον δε ἐχον, ταυτα δε παντα ἐν τοῖς τελειωθει τοῖσ ζωσιν.

Pauca omnino sunt, quae in veterum Graecorum Romanorumque scriptis his de rebus evolvi possunt.

Ad mediam illam quod videas aetatem multa iam monstrorum acephalorum invenimus exempla, sed hic scientiae lux e tenebris nondum effulserat, credula superstitio anatomiae humanae neglectae, his monstris pro ominibus habitis partes attribuit plane nefandas. Rarum illis non erat, qui omnibus in rebus notae alicuius formae effigiem invenere, proboscidem videre, pedes aspicere aquilinos,

taliaque plura, quae mens tantum tenebris barbaris offuscata invenire atque credere potuit.

Sic duae iam nobis evanuere aetates inutiles plane quoad certiora invenienda promendaque de acephalis. Recentioribus tantum temporibus, ubi immensos fecit progressus anatomia, atque historia naturalis, ambas presse insequente physiologia, nunc tandem certiores de his facti magis magisque paene nullo modo intelligenda his in monstris quoad sanguinis percipimus decursum, fœtusque corpus mutilatum quamquam, tamen pluribus in partibus evolutum.

Antequam hic procedam, paucis sententiam quandam Aristotelis enarrabo, quae forsitan observationibus non contemnendis poterit esse dux atque auctrix. Jam enim maximis viris inde ab Hippocrate curae fuit expensius docere, quinam morbi proprii sint his illisve regionibus, quod non solum illis ipsis regionibus utilissimum, de quibus talia sunt exposita, sed simul omni medicinae multos desumsit errores, multaque attulit vera novaque. Monstrorum generationem, liceat mihi hac uti voce, a morboso quodam matris foetusve statu dependere quis negabit? Est enim certa his etiam monstris lex quaedam, sunt certi denique fines, quos ultra citraque excedere etiam his nefas est. Nondum certiores facti sumus, quaenam terrae regio monstra magis pariat per excessum et quaenam contraria, iucundum hoc non solum fore, sed fortasse magnae utilitatis in legibus de monstrorum conformatione investigandis valde opinor. Induxit me hanc ad sententiam persequendam Aristoteles haec qui docet: multiparos minus esse homnes.

διὰ τὸ ἐν ἀνθρωπω ἧττον ὡς γὰρ ἐπιτοπολυ μονοτοκον ἐςι καὶ τελειογονον, ἐπει και τυτων ἐν οἷς τοποις πολυγονοι αἱ γυναικες εἰσι, τυτο συμβαινει μαλλον ὁις περι Αἴγυπτιαν.

Nonne ex his nobis multa concludere licet? Graecis Romanisque, calidioribus qui degebant in regionibus, monstra per excessum plura erant visa, de acephalis ne auditum quidem. Multipara igitur, ut homines in calidioribus regionibus foecundiores et animalia omnino, magis monstra pariunt per excessum. Addas his, quod acephala plurima cum altero foetu gemello vel cum binis sint enata, ita ut his matris vires defuisse videantur. Acephala, quorum descriptiones mox adiungam,

paene plurima in borealibus nata sunt regionibus. Licetne igitur sperare, posse quondam topographiam quasi inveniri monstrorum? Sed de his satis; nunc est designandum, quid per nomen mihi intelligatur acephali.

Ipsam vero si prosequemur nominis significationem, facillime eruetur, ἀνευ κέφαλε tantum dici posse, quod plane capite careat; nec ideo monstra, ubi ossa tantum superiora remota sunt, hoc sibi nomen vindicare possunt, nec quibus ipsum cerebrum una simul cum ossibus deest superioribus hoc sub numero duci merentur. Totum tantum ubi caput desideratur, ipsis omnibus cum ossibus integumentisque, initium faciunt, inde a quo monstra hac acephalorum denominatione sunt digna; accedit tunc sensim sensimque vertebrarum colli remotio, extremitates evanescunt superiores; ipsae tunc vertebrae dorsales constare desinunt, atque sic tandem ad monstrum pervenimus nefandum, in quo abdominis solum infima pars pauculis cum intestinis extremitatibusque inferioribus detortis hominis exhibent figuram, parietinas quasi pulchrae illius formae normalis. Paucis hic mihi delineare liceat, quomodo foetus sensim a perfecta hominis forma desciscant, sensimque sine capite et pectore evadant. Principio huc duci merentur acrania (germ. Katzenköpfe) illa, ossa, fulcrum partium mollium, evanuere, nudum iacet cerebrum nec cranium illud a pressione aliisve periculis tueri potest: quae quanta iam sit aberratio a normali, ex illo videre licet, quod cranium in partu ceteris ossibus aliquanto magis ossificationem sit adeptum et semper atque constanti quod fit modo graviori dependere ex lege uno ore omnes docent naturae scrutatores. Insequuntur haec, quibus una cum ossibus superioribus craнii inferiorum etiam pars deest, quorum loco durior tantum invenitur membrana; cerebri tandem iam prius mutilati magna adest immutatio, membranae carnis gelatinaeve prae se fert formam, et sic suas non exercuisse partes facile exhibetur. Facies iam prius sua omisit lineamenta, sensimque partes hae illaeve evanescunt. Labium adest leporinum, nec non palatum discissum, cyclopis accedit forma. Collum hic nonnumquam deesse videtur, quae faciei propria in pectore videntur, sicuti de lingua iam visum atque oculis. Caput omnibus suis cum

partibus disparuit, insequuntur hoc colli vertebrae quae solito adsunt pauciores atque mox plane recedunt. Rhachis iam hic vel hydropica valde et bifida vel ipsa, rarius quod fit, medulla quoad partem totave abest; nervorum vitiis hinc dependentibus suus hic non est locus, infra de his videbimus. Extremitates superiores tunc iam deformes desunt illis ossa nonnulla haec illave, rarius tamen manus desideratur, sed sensim vel sub cute obtecta adhuc restant vel plane absunt, ubi saepius digiti soli nonnulli ultimi decedunt. Thorax massa illa luxuriante est obsitus de qua post descriptiones relatas pluribus dicam, funiculus ipse suam saepius immutat sedem propiusque ad symphysin progreditur, intestina etiam nonnumquam retinet, indicio vitae in minori gradu restantis. Vesicula hydropica his vitiis frequenter annexa prope umbilicum apparet, ob constantiam suam maioris certe momenti; funiculus umbilicalis solito brevior. Ipse postremo ultimus, qui remanserat, iam abscedit thorax pedibus vel deformatis vel sub cute involutis, deformatamque relinquit figuram ex abdomine solo atque extremitatibus inferioribus constantem. Lineae hae forsan fuere formae externae horum monstrorum a normali sensim mirum usque ad modum aberranti; sed his exterioribus vitia graviora multo annexa sunt organorum internorum spem vix quae praebent ἀσυνθετα, haec quondam explicari et quae obscura in illis in lucem promi. Haec me movere prius descriptionum series, quas mihi colligere licuit proponere, tunc exsertis, quae in illis inventa nostras qualescunque exponemus opiniones sperantes, posse forsan alium haec collecta et in ordinem posita intuentem ex his uberiora elicere, quam quae mihi contingere licuit.

Ad tantam me rem accedere evolvendam, multi forsan improbabunt, ad quam elucidandam ingenium non solum splendens sed exercitatio anatomica quam maxima, doctrinaque copiosa requiruntur. Omnia certe haec in me desiderari lubenter confiteor, at primum a poëtis aliquam petam defensionem, qui a tragoedia scribenda incipere solent, est innata iunioribus libido vires suas exercendi in re, ubi ipsum tentare laudi erit. Tum vero me commovit hanc ad rem

suscipiendam vir Ill. de Klein, quem quum consulerem de re ad dissertationem elaborandam apta, hanc in rem meum contulit animum atque simul sua pro humanitate duorum mihi obtulit descriptiones acephalorum nondum descriptorum ab ipso solo atque a viro Ill. de Reuss cum accurata illa sagacitate perquisitorum a tantis quam viris exspectare licet, nec hoc contentus bibliothecae suae hac in re uberrimae usum maxime liberalem mihi concessit. Berolinum mox advecto nota illa virorum Ill. Rudolphii atque Hufelandii nec minus Walteri facilis benevolaque mens bibliothecarum suarum maximarum mihi concessit usum illeque acephala tria hoc in Museo Berolinensi contenta necdum descripta indaganda mihi obtulit. Tanta tamque ampla occasio despondentem meum tanta in re audenda animum erexit, atque quae exhaurire mihi nefas, tamen libare conabor.

Monstrorum acephalorum quae dicuntur CXXXII, quae indagare mihi contigit LXXI dissectorum descriptiones exhibeo, praetereaque non dissecti hac aetatula nondum observati adumbrationem trado, quum ob illam ipsam maxime memorabilis, tum ob argumentum contra praeconceptam auctorum de ruptis hydrocephalis, unde acephala fieri dicuntur, inde petendum facile gravissimi. Reliqua a me omissa partim non dissecta vel accuratius examinata, partim nulla cum fide descripta, partim ne acephala quidem sunt, sed tantum acrania, quae falso ab auctoribus ad ipsa referuntur acephala. Multa quoque acephala antiquioribus in collectionibus bis, quin adeo unum ter descripta sunt, quum auctor, qui primus prima ex descriptione notitiam suam depromsit, librum citare omiserit. Tertius denique, qui ex prioribus illis exempla sua collegit, unum idemque exemplum tertio narravit. Auctores autem, qui de acephalis scripserunt, dissertationis initio singillatim percensui, ne in ipsis monstrorum descriptionibus longus evaderem.

Scribebam
Berolini Mense Novembri,
MDCCCXX.

* *

ENUMERATIO AUCTORUM QUI DE ACEPHALIS HAC IN DISSERTATIONE EXHIBITIS SCRIPSERUNT.

Anthonius Everhardus Lux e tenebris effulsa ex viscerum monstrosi partus enucleatione. Medisburg, 1663. XII. cum figuris.

Fortunius Licetus de monstris, ex recensione Gerardi Blasii, M. D. et Pr. P. qui monstra quaedam nova et rariora ex recentiorum scriptis addidit. Amstelodami, 1665. IV. cum iconibus.

Gottfried v. Lankisch Glaubwürdiger Abriß und Beschreibung der wunderseltsamen raren, und kaum erhörten Mißgeburt, welche noch neben einer gefundenen Frucht den 22. Tag, December des vergangenen 1679 Jahres in dem Dorfe Eybau, eine Meile von Zittau, geboren, benebst derselben Anatomie. Zittau, 1680. 4. mit Abbildung.

Miscellanea curiosa sive Ephemeridum medico physicarum academiae naturae curiosorum. Decuriae II. annus. 2. (1683.) annus. 9. (1690.) Norinberg. 4to.

Historia medica de Acephalis auctore Marco Mappo med. Dr. Profess. et archiatro. Argentinensi, 1687. IV.

Marcelli Malpighi Philosophi et medici Bononiensis, e regia societate Londin. opera posthuma, figuris aeneis illustrata. Londini, 1697.

Histoire de L'Académie des sciences de Paris. Paris. IV. an. 1703. 1720. 1740. 1741. 1746.

Déscription anatomique dcs Parties de la femme qui servent à la génération avec un traité des monstres, de leur causes, de leur nature, et de leur differences, par Jean Palfyn anatomiste et chirurgien de la ville de Gand. Leide, 1708. 4to.

Mémoires pour l'histoire des sciences et des beaux arts. Trévoux 1706.

Antonio Vallisneri opere diverse. Tomo IIItio. Venezia, 1715. 4to.

Joannis Hyacinthi Vogli fluidi nervei historia. Bononia, 1720.

Decas prima Voluminum actorum medicorum Berolinensium in incrementum artis et scientiarum digesta, collecta et indice absoluta a Johanne Daniele Gohl. Vol. IX. Berolini, 1721. XII.

Sammlung von Natur und Medicin, wie auch hierzu gehörigen Kunst u. Literatur-Geschichten. Ans Licht gestellt von einigen Academiae naturae curios. in Breslau. Leipzig u. Budussin, 1723. 4to.

Le Journal des Sçavans pour l'année 1728. Paris. 4to.

Opere fisico mediche stampate e manoscritte del acavalier Antonio Vallisneri raccolte de Antonio suo figliulo. Tome secondo. Venezia, 1733.

Rariora naturae et artis oder Seltenheiten der Natur und Kunst des Dr. J. C. Kundmannschen Naturalien-Cabinets, wie auch in der Arzeneywissenschaft ꝛc. Breslau u. Leipzig, 1737. Folio.

Ant. Vallisneri Historie von der Erzeugung der Menschen und Thiere, übersetzt, mit Anmerkungen erläutert und mit einigen Kupfern vermehrt von Dr. Chr. Philipp Berger. Lembggo, 1739. 8vo.

Philosophical Transactions, giving some Account of the present Underta-

kings, Studies and Labours of the ingenious in many considerable Parts of the World. London. 4to. for the Years 1739. 1740. 1741. 1767. 1775. 1781. 1793. 1794.

Histoire naturelle géuérale et particulière avec la description du Cabinet du roi par Buffon et Daubenton. Tome III. Paris, 1750. 4to.

Joannis Baptista Bianchi de naturali in humano corpore vitiosa morbosaque generatione historia. Augustae Taurinorum MDCCXI.

Georg Heuerman's Physiologie. 4 Bände mit Kupfern. Coppenhagen u. Leipzig, 1751—1755. 8vo.

Allgemeine Historie der Natur nach allen ihren besondern Theilen abgehandelt; nebst einer Beschreibung der Naturalien-Kammer Sr. Majestät des Königs von Frankreich, mit einer Vorrede von Albrecht v. Haller. Mit Abbildungen. Hamburg u. Leipzig. II. Theil. 1752. 4to.

Caroli Werneri Curtii Narva Livon. Specimen inaugurale medicum de monstro humano cum infante gemello cet. Lugduni Batavorum, 1762. 4to.

Altonaischer gelehrter Merkur, 1764. XI. Stück vom 15. März.

Wahrnehmung von der besondern Beschaffenheit eines allhie todtgeborenen Kindes, weiblichen Geschlechts, welches am Kopfe keine Hirnschaal, noch ein großes noch ein kleines Gehirn gehabt, von C. G. Büttner. Königsberg, 1764. 4to. mit Kupfern.

Ico monstri acephali. 1773. Monachii in Bavaria sculpta, subscripta eius monographia.

Observation sur la Physique, sur l'histoire naturelle par Rozier. Tom. 9. Paris, 1777. 4to.

Ontleedkundige Beschryving en Aanmerkingen, over het Maaksel en de Voeding eener zeldzaame en wanstaltige menschigke Vrucht, Als van zes Manden Dragts. Ten zelfden Tyde, nerens Twea Voldragene en welge maakte Kinderen Geboren Door A. Bonn. 8vo. (sine loco et anno.)

Dissertatio anatomico-physiologica auctore V. Moreau praeside N. Jadelot. Nancy, 1784.

Der Königl. Schwedischen Academie der Wissenschaften neue Abhandlungen für das Jahr 1785. übersetzt von Abraham Gotthelf Kästner und Joachim Dietrich Brand. 6. Band. Leipzig, 1786. 8vo.

Fragmenta semiologiae obstetriciae. Dissert. auctore Friederico Guilelmo Voigtel. Halae, 1790. IV.

Joannis Emmanuel Gilibert med. Prof. nosocomiorum Grodnensis et Lugdunei physici ordinarii cet. Adversaria medio practica prima, seu annotationes clinicae Lugduni, 1791. VIII.

Spec. inaug. anatomicum sistens monstrorum quorumdam descriptionem cet. auctore Carolo Christiano Klein Stuttgartensi. Stuttgartiae, 1793. IV.

Transactions of the royal Society of Edinburgh. Volum. III. Edinburgh, 1794. 4to.

Medical Facts and Observations. Vol. VII. London, 1797. 8vo.

Recherches physiologiques et experiences sur la vitalité par J. J. Sue medecin et professeur d'Anatomie cet., suivies d'une nouvelle opinion sur la douleur qui suivit à la decollation. Paris an VI. (1797.) 8vo.

Salzburger medizinisch-chirurgische Zeitung. Ergänzungsband I. vom 29. Januar, 1797.

Journal für Geburtshelfer, I. Band. Frankfurt und Leipzig, 1797. 8vo.

Neues Magazin für Aerzte, herausgegeben von Dr. Ernst Gottfried Baldinger. 20r und letzter Band. Leipzig, 1798. 8vo.

J. J. Sues Professors der Anatomie zu Paris ꝛc. physiologische Untersuchungen und Erfahrungen über die Vitalität aus dem Französischen übersetzt mit mehreren Anmerkungen u. Zusätzen von Dr. J. C. F. Harleß Professor d. Arzneikunde zu Erlangen. Nürnberg, 1799. 8vo.

Beschreibung zweier merkwürdigen menschlich. Mißgeburten, nebst einigen andern Beobachtungen aus der praktischen Entbindungskunst von Dr. Johann David Busch der Menschen- und Thierarznei-Kunde Professors ꝛc. zu Marburg. Marburg, 1803. 4to.

Beiträge für die Zergliederungs-Kunst. Herausgegeben von H. F. Isenflamm u. J. C. Rosenmüller. Zweiter Band. Leipzig, 1803. 8vo.

Physical and Medical Journal by Dr. Bradley No. 65. 1804.

Museum anatomicum tredecim et quod excurrit lustra congestum et perfectum a Joanne Gottlieb Walter a consiliis intimis Regis Borussorum cet. Tomus I. Berolini, MDCCCV.

Neues Journal der ausländischen medizinisch-chirurgischen Litteratur, herausgegeben von Dr. Hailes, Professor in Erlangen und Dr. Ritter Hofrath in Cassel. 6. Band. I. Stück. Erlangen, 1806.

Abhandlungen aus der menschlichen und vergleichenden Anatomie von J. Mekel, Professor zu Halle. Halle, 1806. 8vo.

Oggetti piu interessanti di ostetricia e di storia naturale esistenti nel museo ostetricio della regia universita di Padova cet. dal Profess. directore Vincenzo Malacarne da Salluzo in Padova MDCCCVII. 4to. maj.

Beiträge zur vergleichenden Anatomie von J. F. Meckel. Professor zu Halle. I. Bandes. II. Heft. Leipzig, 1808. 8vo.

Recherches sur le systême nerveux en géneral et sur celui du cerveau en particulier par F. J. Gall et G. Spurzheim. Paris, 1809. 4to.

Neues Journal der ausländ. mediz. chirurg. Literatur, herausgeg. von Dr. Chr. Fr. Harles. 10. Bandes. II. Stück. alio titulo

Annalen der englischen, französischen, italienischen, spanischen und holländischen Medicin und Chirurgie von Dr. Chr. Fr. Harles. 2ten Bandes. 1tes Stück. Nürnberg, 1810. 8vo.

De Mostri umani lezione Accademica terza Del Professore Vincenze Malacarne da Salluzo del Collegio elettorale de dotti della Società italiana delle scienze etc. 1811. sine loco. 4to. maj.

Disquisitio anatomico-physiologica organismi corporis humani ejusque processus vitalis auctore Georgio Prochaska med. Dr. cet. cum tabulis aeneis. Viennae, 1812. IV.

Friedrich Tiedeman's Anatomie der kopflosen Mifsgeburten, nebst 4 Kupfertafeln. Landshut, 1813. in folio. *(In descriptionum serie hic liber litteris. T. A. d. k. M. citatur.)*

Singolare Mostruosità d'un feto umano e congetture sul primitivo suiluppo d'ell'embrione memoria del Signor Luigi Brera inserta nel Tomo XVII. della società italiana delle Scienze. Verona, 1815. 4to. maj.

Mémorie di matematica e di fisica della società italiana delle Science Tomo XVII. Verona, 1815. 4to. maj.

Mémoire sur les fœtus acephales par Béclard. Paris, 1818. 8vo. *(in descriptionum serie hic liber litteris L. f. a. p. B. citatus est.)*

Medizinische Jahrbücher des K. K. östreichischen Staates, herausgegeben von den Direktoren und Professoren des Studiums der Heilkunde an der Universitat zu Wien. V. Bandes. II. Stück. Wien, 1819. 8vo.

SERIES DESCRIPTIONUM

temporis ordine distributa una cum auctorum citatione acephalum eundem describentium.

I.

Antonius Everhardus.

Lux e tenebris effulsa ex viscerum monstrosi partus enucleatione. Mediob. 1663.
Gerardus Blasius M. D. et P. P. appendix ad Licetum de monstris. Amstelodami 1665. *pag.* 300.
Marcus Mappus, historia medica de Acephalis. Argent. 1687 *pag.* 22.
Jean Palfyn, Description anatomique des parties de la femme qui servent à la génération 1708 *pag.* 325.
T. A. d. k. M. pag. 10.
L. f. a. p. B. pag. 7.

Vocatus *) cum essem huius anni Februario mense (1663), quo mulieri gravidæ, lanionis uxori partus dolores atroces tunc temporis sustinenti, manus conferrem auxiliares, utique valida natura promovente partum, filium primo sextimestrem, postea masculum alterum, solummodo medium, ab eadem illa in lucem ante meum adventum paulo editum, reliquae mihi feminae præsentes obtulerunt.

Illectus rei novitate contrecto manibus monstrosum hunc fœtum, ab adstantibus pro carnea mole duntaxat habitum. Sed quibus ob indecentem utriusque cruris ad decussim inflexum, omnis adimebatur huius spectaculi cognitio, iis ad

*) Ipsa auctoris verba apposui.

posituram debitam retractis cruribus, hocque modo virili se denudante membro, rei praebui notitiam.

Conspiciendus autem exterius erat is fœtus, habita ratione partium sese in adspectum offerentium, eiusdem cum germano fratre magnitudinis, ast sine capite, collo, pectore, brachiis; instructum solummodo lumbis atque natibus, quas excepere femora, crura, pedesque; quorum dexter tribus tantum munitus digitis, ac œdematosus admodum, ob umbilicum supra genu femur valide comprimentem; sinister autem quatuor digitis consitus, ambo decussatim excurrebant. Aderant etiam podex membrumque virile, ac umbilicalia vasa longo satis itinere placentam uterinam subeuntia, quibus glandula quædam incubuit. Nullum ullibi os, nasus, vel oculi comparuere; ultima vero lumborum vertebra desiit in apicem: quae cuncta feminas simul et amicos ad tantam naturæ insolentiam tantopero commoverunt, ut iis præsentibus interna lustrarem viscera me sollicitarent.

Et ecce, dissecto corpusculo, neque cor, multo minus pulmones, neque lienem, neque renes, neque vesicam urinariam, neque intestina obtegens omentum reperire licuit. Unicum hepar vasis suis instructum, et ratione corpusculi, mole vastissimum, ac intestina pauca, vacua, brevissimaque suo colligata mesenteriolo pluresque glandulæ pancreas Asellii referentes, in peritonæo fuere recondita.

Ventriculus nisi superioris intestini pars quædam expansior crassiorque apparuit. Cœcum intestinum non aderat. Colon ob incisuras facillime distingui potuit. Rectum imperforatum exstitit. Jecur vesicula fellea poroque biliario caruit.

Vid. Iconum Tab. I. fig. 1. Figura prima fœtum ostendit in sito suo naturali.

A. Glandula magna vasis incumbens umbilicalibus.
B. B. Vasa umbilicalia.
C. Alia glandula parva dictis vasis adhærens.
D. Membrum virile.
E. Pes sinister quatuor digitis instructus.
F. Pes dexter cum tribus suis digitis.
G. Umbilicalia vasa dextri pedis femur supra genu fortiter comprimentia.

Figura 2. Tab. I. interna viscera exhibet.

A. Corpus hepatis integrum.
B. B. Arteriæ duæ.
C. C. Duæ venæ.
D. Ligamentum umbilicale.
E. Progressus vasorum umbilicalium per mesenterium ad placentam uterinam.
F. F. Intestina cuncta.
G. Glandulæ mesenterii magnæ.

H. H. Aliæ glandulæ vasa recipientes umbilicalia.

I. I. Umbilicus inque eo contenta vasa ut extra abdomen feruntur ad placentam uterinam.

K. K. Hepatis duo circumscripti ventriculi, seu corcula.

II.

G. de Lankisch.

Glaubwürdiger Abriß der wunderseltsamen Miß-Geburt. Zittau 1679.
T. A. d. k. M. pag. 10.

Mulier quaedam quae septem iam enixa erat infantes septem hebdomades ante graviditatem completam una cum infante perfecto feminino monstrum peperit. Caput, collum, extremitatesque superiores abfuerunt. Pollicem unum sub fine corporis superioris funiculus erat insertus. Monstrum fuit femininum, labia enim aderant cum rima, anus fuit occlusus, extremitates inferiores breviores crassaeque, pes dexter varus, in quo digiti quatuor cum unguibus. Pes sinister digitos habuit quatuor cum unguibus. Sub cute massa adfuit cellulosa multum continens serum. In cavo abdominis duo adfuere renes cum venis ex vena cava orientibus. Renes sanguinem non continuere sed aquosum aliquid; ureteres adfuerunt, vesica vero nulla. Ureteres in femorum desiere initia. Uterus nullus inventus est, intestinorum vero exigua pars, intestinis tenuibus similis. Cor, pulmones, hepar, lien, ventriculusque defuere. In parte corporis superiori cavitas adfuit nucis avellanæ magnitudine, unde nonnulla procurrere fila venis similes. Costæ nullæ. Tota corporis massa præter iliacos duosque in femore musculos omnino erat cellulosa.

III.

G. Ch. Gœller.

Ephem. Acad. nat. cur. Dec. II. an. 2. Observ. 143.
L. f. a. p. B. pag. 32.

Fœtum descripsit monstrosum aliis simul duobus cum infantibus natum. Pulmones, cor, lien, hepar vesicula fellea, ventriculus non reperiebantur, vena um-

bilicalis in aortam incurrit, arteriae umbilicales ex iliacis provenere. Caput inter humeros collo absente latuit herniaque aderat hydroencephalica maxima.

IV.

G. C. Schelhammer.

Ephem. Acad. nat. curios. Dec. II. an. 9. 1690. *pag.* 253.
T. A. d. k. M. pag. 31.
L. f. a. p. B. pag. 10.

Monstrum femininum acephalum post puellam natum est bene formatam. Extremitates ambæ superiores brevissimæ erant, in brachio dextro duo erant processus digitiformes in altero brachio sinistro ter majori dextro tres erant digiti ursi similes unguibus. Pedum uterque quatuor tantum habuit digitos, sternum aberat, costae vero in parte utraque erant conspicuæ, cor, pulmonesque aberant, diaphragma autem repertum est. In cavo abdominis invenere ventriculum cum intestinis, hepar, lienem, renes, vesicamque urinariam. Tab. I, fig. 3.

V.

A. Valsnieri.

Marcelli Malpighi philosophi et medici opera posthuma. 1697. *pag.* 87.
T. A. d. k. M. pag. 30.

Mulier *) annorum 47, quæ nupta Viro septuagenario quatuor fœminas, et unum masculum peperit. Hystericis affectionibus tentata, et erumpentibus menstruis, diris doloribus vexata, dum filium lactaret, prægnans reddita est. Circa septimum mensem præconceptæ gravidationis ab utero copiosus erupit sanguis, et hysterica symptomata revixere cum vomitu acidae materiae et lenta, nocturnaque febre, fluente perpetuo ab utero sanguine post varia administrata remedia, perseverantibus doloribus imi ventris, et copiosa ab utero manifestata haemorrhagia, ab utero ejecit ovum magnitudine ovi anserini, deinde ingentem molem vesicularum. Ablatis involucris tenellis, et aperto ovo, occurrit moles quaedam imperfecta et morbosa.

*) Sunt ipsa auctoris verba.

Caput enim, pedes et crura deerant, solusque corporis truncus ruditer compactus observatus est, in quo *cor locabatur amplum* cum aorta, et vena cava inter geminos utriculos, qui pro pulmonibus habiti sunt. In imo ventre informis sanguinea moles vicem hepatis gerebat. Loco pancreatis et lienis gemina congeries incomposita glandularum apparuit. Ventriculus cum elongatis intestinis mollibus et friabilibus patuit. Examinata vesicularum congerie, earum numerus attingi non potuit; facta tamen enumeratione determinati cumuli et proportionali comparatione cum reliquis, ultra sex millia esse conjectatum est. Truncus vasorum non aderat, qui propagatis ramis, et surculis appensas sustineret vesiculas. Solum rete implicitum observatum est, a quo ramuli diversae crassitiei, et longitudinis prodibant, qui vasis naturam redolere videbantur.

VI.

Antoine.

Acad. des Sciences de Paris 1703. *pag.* 29.
T. A. d. k. M. pag. 46.
L. f. a. p. B. pag. 10.

Antonius chirurgus in oppido Mery sur Seine a. 1703 hoc cum academia scientiarum Parisiensi communicavit. Duo agni ex eadem ove sunt nati, quorum unus bene formatus vitalem adhuc hauriebat spiritum, alter vero deformis et mortuus erat. Hic nec capite nec thorace, nec membris anterioribus nec cauda nec organis gaudebat genitalibus. Interiora haec erant: nec cordis, nec pulmonum nec lienis nec vesiculae felleae, nec renum, nec vesicae urinariae, nec columnae vertebralis ulla aderant vestigia. Intestina continebant meconium ventriculique speciem. Ossa illi erant membrorum posteriorum, femorum osque parvum superius cui corpus annexum erat medullare crassumque sicuti nux aliqua unde nervi procurrere. Vasa illi erant quae in umbilico desinebant.

VII.

P u j o l.

Académie des Sciences de Montpellier Tom. I. pag. 103.
Mém. pour l'hist. des Sciences et des beaux arts. Trevoux 1706. *pag.* 1225.

T. A. d. k. M. pag. 19.
L. f. a. p. B. pag. 11.

Postquam puellam bene formatam mulier quaedam iam pepererat, dolores aliquot horis post partum rediere, atque post horas 24 monstrum est enixa sine capite, extremitatibusque superioribus. In corporis fine superiori massa erat carnosa in qua nec frons, nec facies, nec oculi, nec aures apparuere. Breviter ut dicam, nullo modo capiti similis fuit. In superficie hujus massae anteriori parvum erat corpus rotundum magnitudinis, formaeque cerasi in pedunculo pendentis parvo. Monstrum totum dimidium retulit inferius corporis humani in quo genitalia feminina plane erant evoluta. Extremitas etiam sinistra inferior erat deformis, detorta enim fuit atque quater dextra crassior. Infantum ambo-rum funiculi umbilicales ex placenta pendebant communi, pollicis dimidium a sese invicem remoti. Funiculus umbilicalis infantis plane evoluti fortis erat qui vero ad deformem pertinuit tenuis erat facileque dirimendus. A funiculo umbilicali infantis bene formati vas decurrit contortum varicosum ad funiculum monstri umbilicalem. Massa rotunda in corporis parte superiori valde crassa habuit integumenta pollicem aequantia; in internis erat mollis membranosa, multaque continuit vasa. Integumentis communibus demtis invenere in parte anteriori massae illius rotundae parvum corpus cerasinum saccum membranosum sat magnum septo a corpore supra dicto cerasino discretum. Saccus fluidum continuit limpidum. Viderunt praeterea saccos alios tres similes, unum in parte anteriori, unumque in latere unoquoque massa rotunda. In monstro dissecando cavitatem thoracis minimam invenere ita arctam ut digitum vix potuerint inferre. In canalis intestinorum initio duos viderunt processus processuum cœcorum forma. Duo aderant renes. Ureteres sicuti venae renales aderant. Ureter ad vesicam decurrit magnitudine fabae bene tamen formatam. Glandula sinistra suprarenalis erat efformata dextra vero solummodo saccum exhibuit. Venae umbilicales in venam decurrebant cavam. Paulo infra renes vena cava ascendit ante vertebram dorsalem usque ad initium cavitatis parvae pectoralis hic in duos magnos ramos divergebat ambobus lateribus in massam carnosam rotundam penetrantes magnumque numerum ramorum efficientes minorum. Aortae ne vestigium quidem invenit Pujol. Uterus aderat cum tubis. Costae aderant V. vel VI. exiguae quarum duae tantum ad sternum pervenere. In canali dorsali parva aderat medulla spinalis. In pedum unoquoque duo tantum aderant digiti.

VIII.

Méry.

Acad. des Sciences de Paris 1720. *pag.* 13.
T. A. d. k. M. pag. 20.
L. f. a. p. B. pag. 12.

Méry femininum describit monstrum cum puella simul natum sex mensium vivente. Caput, collum, scapulae, claviculae, brachiaque aberant. Monstri corpus desinebat superne cum vertebra prima dorsali. Sub umbilico infans plane erat evolutus tantum ambobus in pedibus minimus desiderabatur digitus. Infantum utroque membranae erant communes placentaque.

Dependebant ex funiculo umbilicali qui in medio paene longitudinis suae in suos divergebat funiculos quorum unusquisque ad infantem decurrebat.

Monstrum sub integumentis communibus multa erat circumdatum tela cellulosa, quae plurimum continuit seri. Aperta cavitate abdominali videbatur ventriculus nec non intestina tenuia, omenta, hepar, lien, una cum pancreate abesse. Intestina tantum crassa, vesica urinaria uterusque cum tubis ovariisque reperiebantur.

Intestinum cœcum, cavitatis abdominalis implevit partem superiorem ab eo duo dependebant processus vermiformes.

Intestini cœci initium erat occlusum. Intestina crassa in mesenterio erant affixa nec meconii quidem continebant vestigia. Renes una cum renibus succenturiatis, in fine suo superiori massa erant aperta carnosa. Ex iis oriebantur ureteres atque in vesicam decurrebant urinariam. Novem costarum paria in ambabus partibus in vertebras dorsales inarticulata libere desinebant. Antrorsum enim abfuit sternum, cartilago tamen reperiebatur ensiformis.

Cor, pulmones, thymusque aberant. Pone vertebrarum corpora duo erant canales quorum dexter aortam referebat, sinister vero venam cavam. Vena umbilicalis intestinis ramos dedit.

IX.

Katzky.

Act. med. Berol. Decas I. vol. 9. 1721. *pag.* 63.
T. A. d. k. M. pag. 31.

Monstri hermaphroditici historia a Do. Dr. Katzky communicata.

Praeteriti *) anni 1720 mense Novembri uxor cuiusdam militis invalidi dicti Weißkopf, hucusque gravida, corripitur partus doloribus cum effusione aquae et sanguinis; hoc vero cessante, cessant etiam dolores, parturiens fit debilis, syncoptica, cunctisque ad partum necessariis viribus destituitur. In hoc statu mansit per diem, et quod supererat, dum adstantes spontaneam exspectarunt exclusionem. Sed omnibus irritis; et puerpera morti ferme propinqua habita, maritum eius mittit obstetrix ad me ut rogaret medicamina. Praescribo potionem analepticam et ad partum facilitandum accommodatam. Hac sumta resuscitantur vires et dolores, et sequuta nocte sub manibus obstetricis dextre adhibitis nascuntur gemelli, quorum prior viva puella fuit et perfecta, nisi quod signo hermaphroditico manifeste fuerit notata. Vixit etiam per tempus, sed quia languida, festinanter sacro lavacro initiata est, et sic paulo post exspiravit.

Alter fœtus hanc excipiens erat quoque puella, sed plane deformis et monstrosa, ut non facile recorder, me unquam de simili monstro vel audivisse vel legisse, cujus formam ideo dignam habeo, quae describatur fusius et accuratius.

Nam praeter idem Hermaphroditae vestigium, licet propter parvitatem corporis obscurius, quo prior luculentius notabatur, altera haec puella prorsus carebat capite et collo, ac praeter thoracem et abdomen cum suis artubus, nihil erat extus conspectui. Locus enim, ubi collum cum capite alias exseritur cum humeris erat planus, et quasi una caro crassa et densa, et referebat unum modo amplum musculum.

Super thorace in loco consueto apparebant mamillae, sed ab invicem, quia thorax insignem habebat amplitudinem, nimis fere dissita. Inter has mamillas sed paulo ad superiora versus, observabatur foraminulum, e quo prominebat vesicula pellucida, quodammodo flaccida, et pauco modo flatu distenta.

Abdomen habebat naturalem suam figuram, nec non umbilicus genuinum suum locum et figuram; sed abdomen videbatur, prae angusto thorace, minus et angustius. Pudenda feminina tenebant etiam suum locum, sed cum appensa de pubis loco mentula mascula. Spina dorsi inferius aderat luculenta, sed superius sensim quasi evanescebat.

Inter artus, quod attinet brachia et manus, illa erant etiam plane deformia et inaequalia. Nam sinistrum brachium maius et crassius erat dextro, ambo vero in gyrum quasi incurvata et retrorsum reflexa. Manus quoque sinistra tres mon-

*) Sunt propria auctoris verba.

strabat digitos, dextra vero solum duos digitos, qui ambarum digiti vero glirium unguibus similiores erant, quam humanis. Adhaec brachia tactu observabantur ossibus vacua, et modo carnosa ac tendinosa, destituta etiam omni cubiti articulo, sed uno tractu sensim gracilescente longitudinem suam absolventia.

Pedes humanis offendebantur simillimi suisque digitis decorati, sed macilentiores et minores ad proportionem superioris trunci, maxime humerorum et thoracis.

Corpus denique totum sat erat magnum et validum, inprimis ipsius thorax, et longitudo supra ulnae dimidium extendebatur.

Et haec sufficiant de externo habitu. Quia vero cupidus fui spectare etiam interiora, dissecui istum partum, et annotavi tantum, quantum per festinantem sectionem, quae furtim et parentibus insciis perpetrari debuit, licitum fuit. Hinc etiam brevem modo dare possum delineationem.

Sub tegumentis sat crassis abdominis offendebatur Omentum nullum, sed cavitas abdominis impleta multo liquore flavo. Intestina omnia erant aequalia, praeter rectum magis vastum, mirum vero in modum sibi erant implicita et convoluta, nec non faciem intestinorum fere glirium aut murium prae se ferebant. Vesica aderat nulla et Lien nullus, nullaque fellis vesicula, quoniam hepar etiam conspiciebatur modo pisi maioris magnitudinis. Ventriculus comparebat modo instar intestini, nullumque conspicuum erat Pancreas. Uterus uti bestiarum πολυτόκων bicornis observabatur. Renes stupendam possidebant magnitudinem, ut ferme quartam abdominis partem complerent, habebant etiam sua vasa emulgentia, unde descendebant admodum conspicue aorta, cava, et vasa iliaca.

Thorax uti dictum supra, ferme totus carnosus, post discissionem offerebat nullum sternum genuinum, nec costas ordinatas; sed loco eorum solummodo confusum quoddam cartilaginoso osseum concrementum, sub se fovens cavitatem pectoris admodum exiguam, in qua *loco Cordis pyramidalis conspiciebatur modo globulus carneus, dissectus exhibens ventriculos non lateraliter sibi appositos, sed horizontaliter sibi super impositos, nullis vero apparentibus cordis auriculis.* Mediastinum aderat nullum, pulmoque nullus nec trachea. Interim ab abdomine Pectus consueto et perfecto diaphragmate separatum deprehendebatur. An vero supra memorata vesicula flatulenta e pectore pullulans vestigium pulmonis, an vero meningum capitis referre debeat, determinare facile haud licet, quia, propter fugitivam sectionem, connexionem partium intueri intimius minime potui. Luben-ter quidem Cadaver monstri hujus spiritu munitum asservassem, alioque tempore accuratius id inquisivissem, nec dubito, quin plurima utilia et observatu digna inde colligi potuissent; sed ridicula parentum Conscientia id nullo modo per-

misit. Interim Monstrum illud post partum vivum fuisse, instanter contestatur obstetrix, utpote quae illud diuturnis motibus agitatum conspexit; nec non idem in utero vixisse, demonstrat ipsius structura, quamvis erronea, et mixtionis hucusque Conservatio. Quid vero Principio struenti ad hunc errorem ansam dederit, non adeo liquet. Mater quidem accusat mox, quod saepe decollationibus judicialibus praesens fuerit; mox vero, quod cum horrore cadavera hominum per turrim nitrosam pulvere pyrio ruptam praeterlapso anno detruncata conspexerit. Sed hinc evidenter argumentari non licet. Sufficit, ita esse factum, sicque permisisse Deum, ut ipsius et Naturae opera manifestentur.

Tandem lubet hic apponere Picturam aliqualem insoliti huius fœtus, quo externa ipsius figura uno obtutu faciliori possit considerari negocio.

Tab. I. fig. 4.

a. Foraminulum cum erumpente vesicula,
b. b. Duae Mammillae,
c. Umbilicus cum relicta portione funiculi eiusdem,
d. Sinistrum brachium crassius cum tribus digitis,
e. Dextrum brachium gracilius cum duobus digitis,
f. Vulvae orificium cum appensa mentula.

X.

J. H. Vogli.

Fluidi nervei Historia. Bononiae 1720. *pag.* 38.
Vallisneri opere diverse. Tomo III. pag. 466.
Opere fisiche stampate del Kavalier Antonio Vallisneri. Venezia tom. II. 1733. *pag.* 302.
A. Vallisneri, von der Erzeugung der Menschen ꝛc. übers. v. C. P. Berger. 1739. S. 716.
J. B. Bianchi de naturali, vitiosa, morbosaque generatione historia. 1741. *pag.* 245.
T. A. d. k. M. pag. 11.
L. f. a. p. B. pag. 13.

Quarto nonas Aprilis hora meridiana anni 1720 Bononiae nata est, et paululum mota, ut referunt, monstrosa puellula non cerebro tantum, sed et capite, et brachiis, et pulmonibus, corde, diaphragmate, hepate, liene, renibus succenturiatis destituta, spinali autem medulla ampla, renibus permagnis, rudi ventriculo, parum evoluto, intestinis, vesica urinaria, utero cum annexis tubis, et testibus bene muscu-

losa, et pinguis gaudebat, pedibus tamen tribus tantum digitis instructis, prioribus quidem digitis in eorum altero simul presse junctis, in altero vero belle divisis, distinctisque, sexuque adeo distincto, ut nunquam melius. Enixa est eam mater post partum alius puellae vivae, et completae, et utraque peculiari suo funiculo umbilicali, placenta vero communi instructa erat. Bianchi et Valsalva in sectione aderant.

Vid. Iconum Tab. II. fig. 1.

XI.

J. C. Kundmann.

Breslauer Sammlung von Natur und Kunst ꝛc. Winter-Quartal 1722. S. 626.

Seltenheiten der Natur und Kunst von J. C. Kundmann. Breslau und Leipzig. 1737. S. 810.

T. A. d. k. M. pag. 11.

L. f. a. p. B. pag. 36.

Die 29. M. Junii A. 1722 mulier quaedam peperit primo puerum, deinde hoc monstrum, postea puellam sanam. Deerant caput, pectus, brachiaque aderant tantum abdomen cum protuberantia umbiliciformi atque funiculo umbilicali, natibus, femore, pedibus atque pene. Caro erat spongiosa atque in margine superiori durior, solidiorque. Lit. A. Tab. II. fig. 2. protuberantia cicatrici umbilicali adultorum similis, paulo vero inferius verus erat funiculus umbilicalis Lit. B. pennae scriptoriae magnitudine.

Duo erant pedes normales quorum dexter interne erat curvatus cum planta vara. Ambabus in partibus tres vidimus digitos atque in sinistra perspicuum erat, digitum medium ex duobus constare digitis concretis minoribus quorum unicuique suus erat unguis.

In cavis thoracis atque abdominis plurimum occupavit locum tela quaedam carnosa. Viscerum pectoris ne ullum quidem aderat vestigium. In visceribus abdominis renes erant deformati intestina ulnae erant unius atque dimidiae. Anus pervius erat, ut in rectum, ita in funiculum umbilicalem, qui intestini videbatur esse continuatio. Hic processus et ipsa intestina meconii erant plena. Omentum aderat nullum nec mesenterium perspicuum. Praeterea aberant lien, venter, reliqua praeter vesicam corporaque globosa ambabus in partibus, hepar forsan atque lienem referentibus. In sceleto aderat os sacrum cum osse coc-

cygis 5 — 6 vertebrae lumborum, ossa ilii, ischii et pubis, ossa femorum tibiae et fibulae, pedis atque digitorum. Suum habuit in partu funiculum umbilicalem hoc monstrum, placenta vero illi tertio cum partu erat communis. Cerebrum ideo et cor deerant.

XII.

Salsmann.

Journal des Savants. Dec. 1726. *pag.* 758.
Acad. des Sciences de Paris. 1740. *pag.* 594.
T. A. d. k. M. pag. 32.
L. f. a. p. B. pag. 13.

Anno 1726 Argentorati mulier peperit monstrum femininum acephalum 6 mensium. Supra humeros massa erat mollis colli partibus similis inferioribus, in qua nullum erat ossium cranii vestigium nec cerebri nec alius capitis partis molimina percipiebantur. In pectore medio tumulus erat spongiosus inaequalis, morum referens, rima etiam hic apparebat parva transversalis similis aliquo modo ori, dextraque in parte pone hunc parvum aderat corpus oculo male formato non absimile. Extremitates superiores breviores ita erant deformes, ut talpae pene manus referrent. Manus dextra quatuor erat digitorum, sinistra vero trium tantummodo. Crura praeter modum erant crassa, pedesque introrsum erant versi magis quam dextro sinistro hoc evenit pedum. In pede dextro hallux digitusque secundus aderant, digiti minimi rudimentum tantummodo. Pes sinister tres tantum habebat primos digitos. Massa spongiosa inter humeros posita erat, qua incisa in columnam dorsalem penetrare licuit. Colli vertebrae antrorsum flexae in pectore medio in tumorem desiere inaequalem illum moro similem, capitis igitur initium plane se perhibuit. In cavitate abdominali intestini inveniebatur pars mesenterii ope ad columnam dorsalem affixa, fini superiori plane occluso. Ventriculus, hepar, lien atque pancreas aberant. Penes ambo maximi ureteres aderant valde extensi. Uterus, tubae, ovariaque solitam superabant magnitudinem. Cavum thoracis exiguum, a cavo abdominis per diaphragma divisum nullum organon continebat. Pulmonum loco massam conspiciebant vesiculam rem pellucidam humoris aliquid continentem clari. Cordis ne principium quidem inveniebatur in renum tantum regione corpus erat parvum rubicundum sanguinis aliquid continens nullibi vero cum aorta coniunctum. In cavo pec-

toris atque abdominis vasa inveniebantur sanguifera. Columnae vertebralis dextram ad partem aorta erat sita, ad sinistram vena cava. Ambo vasa minora erant solito, parcioresque quam norma exigit ramos dedere. Venae iliacae perspicue aderant.

XIII.

Gourraigne.

Acad. des Sc. de Paris. 1741. *pag.* 497.
T. A. d. k. M. pag. 12.

In regione Montis Belligardensi monstrum hoc est natum ponderis unciarum septem cum placenta alba, sexus masculi. Constitit ex corporis dimidio inferiori, nempe ex extremitatibus inferioribus, extremitates superiores deerant. Funiculus umbilicalis solitae erat longitudinis atque crassitiei. In facie eius exteriori pone umbilicum corpus apparebat glandulosum, coloris cinerei atque magnitudine cicer magnum aequans. Pedes scrotumque formae erant solitae. In scroto vero nulli inveniebantur testes. Anus erat apertus. In cavitate abdominali dissecta aberant hepar, lien, omentum, vertriculus, mesenterium pancreas, aorta, venaque cava. Tubi intestinorum rectam tantum colique parvam partem invenere. Partis huius intestinorum parietes tenuissimae erant, fine superiori occluso, inferiori in anum transeunte. Tota sua in longitudine ad parietem posteriorem vertebrarum nempe corpora telae cellulosae ope erat affixa. Superne ad ambas intestini huius partes corpora duo parva, rubra fabae similia in oculos cadebant. In corpore spongioso ureteres ambo aderant, qui ex renum parte concava orti in vesicae urinariae partem latissimam incurrebant, ureter dexter 15 ferme lin. erat longus sinister vero 13 tantummodo.

Renes parvi in capsula Glissonii erant inclusi quae tamen adipis multo minus continebat quam alias solet.

Renes succenturiati ac testes non inveniebantur. Vesica urinaria in suo erat loco forma vero erat abnormis; parietes eius crassissimi, facies internae plurimis plicaturis conspicua, ipsumque cavum perexiguum erat. Media parte coarctata sensimque tenuior facta in urachum transiit, tota pene longitudine cava. Urachi cavum erat angustius, pollice ab umbilico ipse ligamentosus fieri videbatur. Vasa nonnulla aderant in cavo abdominali; in funiculo umbilicali totam suam ad longitudinem dissecto vena inveniebatur umbilicalis arteriaeque duae umbilica-

les. Vena umbilicalis dividebatur, postquam dimidium pollicem in cavitatem abdominalem eruperat nonnullosque dederat ramos, duos in truncos, quorum unus dextrorsum, alter sinistrorsum decurrit parvosque protulit ramos. Postquam rami ambo principales in regionem corporum vertebrarum lumbarium ultimarum venerant, in multos dividebantur surculos quorum nonnulli in superiorem, alii in corporis mediam partem atque alii denique in vesicae decurrere regionem urinariae.

Rami vesicae propinqui pelvi vasa dederant quae in vesica atque in recto ramificabantur praetereaque in plura parva vasa, quorum tria ibi ex cavo abdominis provenere, ubi nervus cruralis, arteria venaque cruralis provenire solent.

Rami hi venosi nec ultra genu potuere investigari in cruris musculis excurrentes. Rami ceteri duo prioribus maiores una cum nervo ischiadico ex pelvi provenere. Horum ramorum unusquisque in multos dividebatur ramulos minores nervi ischiadici comitantes ramos atque in femoris, cruris, plantaeque musculis in ramos suos exiere. Arteria utraque umbilicalis eodem pene modo quo venae rami principales decurrentes ubicumque illius ramos ramulosque comitabantur.

Columna dorsalis ex quatuor constitit vertebris lumbaribus, ex dimidio prima vertebrae lumbaris atque ex osse sacro. Quod a prima restat vertebra lumbari superne canalem occludit loco medullae dorsalis. Medulla a membranis suis circumvoluta magnitudine erat solita. Inde oriebantur nervi lumbares atque sacrales solitae crassitiei in cavitatem abdominalem extremitatesque inferiores exeuntes.

In massa illa exigua carnosa pilis induta supra umbilicum Gourraigne parvum vidit foramen in quod specillum ad longitudinem duarum linearum demisit, qua canalis desinere videbatur, in loco vacuo pene rotundo. Canalis ex ossibus formatus erat duobus parvis paullulum convexis valdeque spongiosis interneque membrana forti indutis, neque cum cetero corpore coniunctus erat. Monstri cutis valde erat crassa planeque œdematosa.

Extremitatum inferiorum musculi erant albidi, crassi, fereque confluebant finibus parum distinctis. Vix tantum Gurraigne fasciam potuit latam musculosque discernere surales quorum tendo ossi calcareo adhaerebat. In musculis glutaeis nonnulli erant globuli adipis crocei. Musculi abdominales aberant cavitasque abdominalis cute erat obtecta crassa spongiosaque.

Ossa vertebrarum, femoris crurisque ac pedis aliquanto minus erant dura quam naturaliter in infantibus nuper natis esse solent.

XIV.

Winslow.

Acad. des Sc. de Paris. 1740. *pag.* 586.
T. A. d. k. M. pag. 14.
L. f. a. p. B. pag. 15.

Winslovius enarrat de monstro masculino cum infante masculini generis simul enato. Monstro huic abdomen tantum erat extremitatesque inferiores quibus tres digiti aberant postumi. Tela cellulosa subcutanea valde erat œdematosa. In internis nec lien, nec vesicula fellea, nec ventriculus, nec pancreas nec initium intestini tenuis. Unica quae aderat vena umbilicalis in cutis loco eminente desinebat, unde arteria exoriebatur umbilicalis.

XV.

D. Superville.

Philosoph. Transact. for the Year 1740. *No.* 456. *pag.* 294.
T. A. d. k. M. pag. 21.
L. f. a. p. B. pag. 14.

Est infans 8 mensium sine capite brachiisque. Externe paene nihil amplius quam abdomen cum femore fere confluens apparebat. Abdomen ac femora bene sunt formata una cum digitis unguiumque principiis, pes vero dexter varus. In dissecando hoc, unam tantum Superville invenit cavitatem, quae in parte superiori vesicam continebat angustam. Omni hac in cavitate nihil aderat quam intestinorum pars quaedam, renes ambo, vesica urinaria, testiculusque dexter qui in annulo erat situs. Funiculus umbilicalis altius aliquanto quam fieri solet, intravit abdomen, paullulum dextrorsum deflexus ad intestina pervenit. Adest intestinum teres 14 *lin.* longum ex eodem loco profectum ubi umbilicus cavitatem intrat; pone haec adest cœcum cum appendice vermiformi, colon atque rectum, omnia haec, duorum non superantia pollicum longitudinem. Intestina haec a superiori parte ad inferiorem flexuosa decurrebant, atque spinae erant affixa dorsi nec ullum aderat vestigium cordis, pulmonum, ventriculi, hepatis, lienis, pancreatis vel

mesenterii. Angusta illa vesica, quam supra descripsi, carnosa erat, serique continuit aliquid, primae vertebrae annexa. Spinae initium antrorsum erat flexum quasi arcus, ac monstri superne efficiebat convexitatem. Extremus hic finis inflexus vesicam illam parvam sub se continuit atque in cavitate costis circumdata inclusit. Cavitas haec thoracis quasi adepta erat formam, sed sternum aberat cum diaphragmate.

XVI.

D. Superville.

Phil. Trans. 1739 — 41. *vol. LI.*

Alium acephalum cum duobus mortuis infantibus non deformatis simul enatum qui cum altero eorum una gaudebat placenta membranisque, Superville in eodem tomo describit. Carebat pulmonibus, corde, hepate, liene, ceteroquin plerisque iam descriptis monstris acephalis maxime similis erat. Funiculo umbilicali portiuncula massae spongiosae carneae affixa erat.

XVII.

G. Heuermann.

Heuermann's Physiologie. 1751. *Tom. I.*
T. A. d. k. M. pag. 21.

Monstrum ab Heuermanno observatum ex pectore, abdomine et extremis inferioribus constabat. Genitalia aderant externa feminina, anus non erat occlusus, colli vertebrae nonnullae tantum affuere, pedes deformes nec digiti erant efformati. In cavitate thoracis massa inveniebatur cellulosa in qua pulmonum aderant vestigia. In cavo abdominis intestini erat pars mesenterio affixa, quae in anum transiit. Ventriculus, hepar, lien omentaque defuere. Vesica aderat, renes vero uterusque non reperiebantur. Medulla aderat spinalis a processu incipiens pro capite ab Heuermann habito. Cavum thoracis ex sterno, costis diaphragmateque erat formatum. In dorso cavum erat magnum sero impletum, sub cute etiam tales affuere tumores.

Iconum Tab. III. fig. 1.

XVIII.

B r a c q.

Arch. de l'Acad. de Chirg. No. 56.
L. f. a. p. B. pag. 31.

Mense Octobri a. 1752 Bracq VI horas post natam puellam viventem, pedibus extraxit monstrum; quamquam leniter traxit tamen pedes disrupti sunt. Tunc truncus provenit sine brachiis, sine genitalibus et anu. Intestinorum tantum aderat sedecim poll. longa pars, dura et cavitate destituta. Lien, ventriculus, renesque aberant. Vasa nulla ut videtur huic infuere infanti, cum sanguis nullus umbilico inesset.

XIX.

C. W. Curtius.

Specimen inaugurale medicum de monstro humano. Lug. Batav. 1762. *pg.* 9.
Beiträge zur vergl. Anat. von Meckel I. Band. I. Heft. S. 50.
L. f. a. p. B. pag. 33.

Mulier XXVII annor. quae ante annum prima vice pepererat, gemellos enixa est, quorum prior natus bene formatus, alter vero hunc insequens monstrum erat.

Caput nullum aderat. Loco huius externe apparebat, corpori oblique sinistrorsum impositum, non adeo magnum in priora inclinatum, pectori quasi intrusum hemisphaerium, quod neque magnitudini suo cui impositum erat corpori neque volumini consueto capitis naturalis fœtus respondebat.

Integumenta, exceptis illis, quae appendices investiunt, naturalia conspiciebantur, hinc inde tamen torosa.

Collum primo intuitu nullum distinguebatur, etsi postea resectis carnibus patebat, septem colli vertebras naturali structura fulcire hemisphaerium supra commemoratum. Pectus undique tumebat œdematosa colluvie et mamillae fortiter eminebant. Papillas nullas in mammis detexit. Brachium dextrum naturalis erat longitudinis atque situs, sinistro autem multo longius. Abdomen aquoso pendulum tumore latum ac torosum, ceterum naturae legibus externe respondebat; ex eius medio

consueto more exsurgebat funiculus umbilicalis bene conformatus. Partes genitales masculini fœtus rite conformatae, naturaliter, quo debent loco et modo adpositae erant. Extremitates inferiores a naturali habitu pene non aberrabant, nisi quod sinistri lateris paulo breviores erant. Musculi bene conformati erant et paene omnino naturali decurrebant modo. In apice cavi thoracis praeter cellulosam et membranas investientes apparebat cylindrus media via ex capite descendens. In dextri lateris extremo, curvatura coracoidea inflectebatur cœca. A dextro latere curvaturae scilicet adiacebat massula, in medio transversim alba divisa linea. His intestina subiacebant, in parvulum globulum convoluta, hinc inde firma membrana connexa, in nonnullis autem locis ipsis parietibus, quibus sibi adiacebant concreta, absque ordine, ita ut rite explicari nequirent. Superior et maxima intestinorum pars ab utroque fine clausa, separato tractu a reliqua distinguebantur portione, nullum cum cavo recti habebant nexum. Rectum autem ex ano surgens cum altero canali continuum in cœcam illam originem desinebat. Per funiculum umbilicalem decurrebant modo geminae arteriae cum vena et urachо; urachus suo in loco, uti in vesica apparet, inserebatur. Per medium corpus ad vertebras protendebatur magna arteria nulli cordi adhaerens, varios demittens ramos. Quoad renes: bursa erat, ex integumentis renum ab ima illorum parte continuata; haec autem bursa in sui principio prope renes capacior, sensim gracilescens descendebat, juxta tunc repens, ibi nectebatur, ultra pergebat, annulum denique subibat inguinalem et ad ultimum scrotum.

Pharynx cum œsophago, larynx, glandula thyreoidea et thymus, pulmones, cor, diaphragma, ventriculus, pancreas, omentum cum parte intestinorum, hepar, vesicula fellea, totumque fere venarum systema aberant.

Ossa omnia paene naturalia erant.

Explicatio figurarum.

Fig. 1. Tab. IV. Integrum fœtum a parte anteriore sistit.

A. Hemisphaerium caput referens, priore parte inclinatum.

B. B. Sinistra, scroto non adeo dissimilis appendix.

C. Sinistri humeri regio cum haemisphaerio continuata.

D. D. Brachium sinistrum cum manu intortum dextro multo brevius.

E. Aquoso tumore tumens dexter humerus et collum.

F. F. Simili tumore praeternaturaliter prominentes cum pectore mammae.

G. G. Funiculus umbilicalis.

H. H. H. Aquoso tumore pendula integumenta.

I. Sinistra manus digitis quatuor difformibus.

K. Pollex pedis dextri.

L. M. Duo digiti, alter alteri impositus.
N. Digitus minimus.
O. Pollex pedis sinistri.
P. Digitus secundus.
Q. R. Duo digitorum rudimenta.

Fig. 2. Tab. III.

Aperto pectore et abdomine, eorum vasa, et viscerum inferius stratum explicantur.

A. A. A. Videtur esse aorta, vel eius saltem locum tueri.
B. B. Subclaviae.
C. C. Emulgentes.
D. Aortae continuatio cum iliacis sinistrorsum seposita.
E. Iliaca dextra.
F. Iliaca sinistra.
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Varii rami ad superiora tendentes.
G. G. Nervi, an nervorum dorsalium rami costales?
H. H. Renes.
I. Bursa, qualis ante dissectionem in utroque latere conspiciebatur.
K. Ren succenturiatus sinistri lateris.
L. Renis dextri portio cum succenturiato reclinata.
M. Ureter lateris dextri ex emulgente ramulum accipiens.
N. Arteria spermatica per renem penetrans.
O. Ureteris in vesicam urinariam insertio.
O. O. Annuli inguinales per quos arteria spermatica ad genitalia descendit.
P. P. Intestinum rectum.
Q. Integumentorum abdominalium anterior pars reclinata.
R. Annulus umbilicalis.
S. S. Funiculus umbilicalis.
T. Vesica urinaria anteriora versus reclinata.
U. Psoas musculus obiter expressus.
V. V. V. V. Spina dorsi.
W. W. W. W. Parvi ramuli ex aorta orientes, sine dubio intercostales.
X. X. X. X. X. Suprarenales.
Y. Locus ubi intestinorum mira convolutio, cum vesicula et massula carnosa adnectebatur corpori.
Z. Z. Z. Z. Z. Integumenta pectoris et abdominis.

Fig. 2. Tab. IV.

Reliqua viscera ea, quae fig. 2. Tab. III. explicavimus tegentia.

A. Cylindrus ex vesica in altum surgens.

B. Vesica aqua impleta.

C. Eius curvatura coracoidea.

D. Massula carnosa ex rubro fusca, in cuius media parte linea albicans describitur.

E. E. E. E. Intestinorum singularis convolutio, cum reliquis non continua, ab utroque fine clausa.

F. F. F. F. F. F. Alter intestinalis tractus cœcus, quoad ortum, pone priorem descendens atque cum recto ad anum terminatus.

G. Processui vermiculari intestini cœci non dissimilis secundi huius tractus cœca origo.

H. Intestini recti in anum porrectio.

I. I. Renes.

K. K. Bursae, ureteres et arterias spermaticas continentes.

L. Integumentorum abdominalium pars.

XX.

L. G. Büttner.

Anatomische Wahrnehmungen. Königsberg und Leipzig. 1768. S. 188.
T. A. d. k. M. pag. 44.
L. f. a. p. B. pag. 16.

Mulier suum iam per tempus gravida duos peperit infantes: primus erat puer bene formatus vivens, secundus vero monstrum in quo nec caput nec brachia nec sexus aderant signa; pes tantum inveniebatur ad abdomen retractus, qui digitos unguesque exhibebat. Una aderat placenta duobus pro infantibus dura, ex qua amborum provenere infantum funiculi umbilicales. Cutis erat monstri alba quidem sed hic illic parvae apparebant vesicae, ex quibus facta sectione aqua efflu-xit. Longitudinis erat a parte suprema usque ad calcar quindecim ferme pollicum. Sub apice anteriori huius massae processus aderat osseus, supra quem cutis extensa erat tenuis. Membrum virile aliquo modo quidem aderat anterius quasi abscissum sine praeputio glandeque; in hoc duo erant capitula, inter quae ure-

thrae erat apertura, qua usque ad vesicam urinariam patuit. Anus imperforatus. Unum tantum aderat femur conoideum inferne acutum in ossibus ilium vero latum. Tarsus dexter quasi globus erat curvatus unicumque habebat hallucem suo cum ungue. Crus sinistrum tibiam habebat dextra breviorem tarsumque, in quo duo tantum erant primi digiti. Aperto illo quod caput dici potuerat, massa tantum apparebat crassa aquea. Cranii tantum aderant rudimenta. In pectore massa quaedam erat atra quam initio pro pulmonibus habuit Büttnerus accretam scilicet sterno parum exculto. Nec glandula erat thymus nec trachea, nec œsophagus, nec arteriae carotides nec venae iugulares. Cavitate pectoris aperta, nec cor inveniebatur nec atria nec pulmones nec aorta multove minus mediastinum anterius posteriusve. Diaphragmati simile aliquid aderat. Costae reperiebantur at nulli annexae sterno. Ventriculus lienque aberant. Inveniebatur tantum intestini pars parva massam albam in se continens, ramum a vena accipiens umbilicali, in parvum sese dividentem mesenterium. Hoc erat intestinum liberum plane, et tantum mesenterii ope partibus propinquis affixum. Pancreas renesque aberant. Hepar cum vesicula fellea non reperiebantur. In pelvis regione intestinorum aderat globus plane liber qui intestini ibi exhibebat finem mox in cœcum atque in colon transeuntis. Nullus aderat processus vermiformis, sua erat intestino colo amplitudo atque hic verum inveniebatur meconium. Nec ureteres nec venae inveniebantur iliacae nec nervi ulli. Testiculi cum scroto, cum vasis deferentibus annuloque abdominali nulli aderant. In illo quod membrum antea diximus virile, corpora quidem aderant cavernosa, at tenuia sicuti urethra, bulbus nullus aderat urethrae. Processus ille osseus supra descriptus occipitis erat pars, foramen magnum continens atque atlanti coniuncta. Massa illa atra pro pulmonibus habita duram invenit esse matrem Büttnerus, per quam via erat aperta totam per columnam dorsalem quae nullam continebat medullam. In vertebris quae aderant 20, nulla inveniebantur foramina. Os sacrum cum osse coccygis ossibusque ilium bene erant formata praeter quod nervis nulla aderant foramina. Costarum erat numerus 10 utraque in parte. Scapula cum processu acromii aderat. Tarsus dexter tria tantum continebat ossa osque calcis defuit. Duo tantum aderant ossa metatarsi duobus digitis suis connexa. Tarsus sinister duo tantum habebat ossa tarsi, metatarsi unum, osque calcis etiam defuit.

XXI.

N. Le Cat.

Altonaischer gelehrter Mercur No. 11. vom 15. März 1764.
Phil. Transact. 1767. *part I. pag.* 1.
Beiträge zur vergl. Anat. von J. F. Meckel I. Band II. Heft. Leipzig. 1809. S. 51.
T. A. d. k. M. pag. 33.

Mulier quaedam, quae sex iam pepererat infantes, anno 1766 rursum gemellos est enixa. Hoc in partu tanta aquae effluxit multitudo, ut hydrohysteran affuisse omnes iudicarent. Horum gemellorum prima puella fuit bene formata post partum emortua, a laboribus in partu. Monstri pars inferior digiti supra umbilicum latitudine feminini fuit generis sat bene formata praeter quod in pede sinistro quatuor tantum aderant digiti membranae ope coniuncti, natatoriae similis. Infantum utraque iam magnitudinem acquisiverat aliis infantibus eiusdem aetatis convenientem, gemellis nempe nec valde perfectis.

Incepit sectionem in parte posteriori; musculi dorsales bene erant formati. Invenit in latere dextro costas VIII atque in sinistro VII. Paulo supra hydatis affuit, in qua nervi erant cervicales extremitatibus superioribus destinati. Hic etiam molima apparebant scapulae atque clavicula magis etiam imperfecta.

In latere dextro prope haec molimina pollicis erat species dextri, cuius finis supremus prominebat ex integumentis suis ter quartam partem longitudinis suae normalis supra hydatidem atque in latere eiusdem dextro aliam detexit maiorem cystide ampla circumdatam laeviorem, quae intus corpusculum continebat maxillae ruditer excultae simillimum.

In parte huius cystidis anteriori extrema duo erant ostia pene eodem loco desinentia septum cruciantia quod ad aliam duxit cystidem forma multo minorem.

Ambas hydatides oculos fuisse imperfectos quia perspici potuere atque ab integumentis circumdatae fuere, palpebris similibus, maxime probabile videtur.

In investiganda columna dorsali detrahendisque partibus mollibus invenit eam superne in massam osseam exire, quae lanyngem retulit.

Hac sub specie parenchymatis albi atque glandulosi massa erat glandularis magis perspicue exculta quam tali in corpusculo potuit exspectari.

Certe occipitales hic erant musculi et forsan frontales invicem sibi coniuncti. Carnosa hac desumta parte, cystidem illam spinae dorsalis superiorem aperuit referentem laryngis speciem. Superficies eius plane erat ossea, ut in fœtu esse

solet, cartilagini propior. Hanc aperuit in directione trigoni membranacei similis suturae occipitis lambdoideae. Hanc laryngis speciem invenit cerebro vel potius cerebello impletam, pollicem fere amplam; quod fœtus huius totum erat cerebrum. In cavitatis huius extremis finibus retrorsum medulla erat propria spinalis. Haec cavitas disiuncta erat nulla medulla oblongata, antrorsum tantum aderat minima; atque in latere dextro alia erat cerebelli oblongata species, ita ut haec cerebri pars parva ad cerebellum non pertinere videretur.

In basi huius cranii quod diximus deformis antrorsum via erat aperta ad hydatidem parvam alteram in latere dextro sitam sub osse maxillam referente, quod ad oris aliquam duxit speciem vix efformati atque occlusi.

In altero latere nihil erat, nec os nec alia res huic similis.

In osse adiacente aurem invenit aliquo modo dextram. Pars anterior eiusdem superficiei superioris cranii plana erat non multum excavata sicuti superficies laryngis superior; in medio magna erat crista atque in parte eius anteriori animadvertebatur processus aliquis. Hoc sub processu os perpendiculari descendit modo angulum efficiendo acutum cum superficie superiori, cavitatemque in descensu efformando, quae antrorsum in parte proiecta desiit; cum latere huius partis proiectae dextro maxillae illius ramus dexter erat coniunctus; hoc in ramo erat vestigium hydatidis illius, supra descriptae, maximeque perspicue paris octavi nervus.

In pectore vel potius sub costis nec cor aderat nec pulmones, sed eadem massa alba parenchymati atque œdemati similis, quam in capitis vidimus loco. Hanc infra diaphragma erat nullum, certe non perspicuum. In abdomine, quod infra costas erat extensum intestinorum erat globus, massaque parva rubra quam hepar dixi nomine meliore deficiente, quia funiculo umbilicali cortracto haec moveri videbatur quod opinionem mihi intulit venam hic intrare umbilicalem. Ventriculus, lien, pancreas, renesques aberant. Massa intestinorum in duos erat divisa partes quarum prima coloris erat subrubri cystide cœca superne finita sub qua altera erat pars veluti intestinum ileum, cum colo atque cœco coniunctum. Haec altera pars alba erat intestinaque crassa continere videbatur. Cœcum longissimum erat. Sic nec ieiunum nec duodenum nec ventriculus nec hepar aderat. Hac ab adhaesionibus suis detracta nec aderant vasa sinui venae portae similia nec alia res hepatis formam referens, nec ulla alia res huc pertinens. Quam aperiens magis magisque sibi persuasit, renem potius esse, vel glandularum renalium globum, quamvis una esset massa in intestinis sita mediis; minus etiam cordis tulit formam nec cavitatem nec vasa, nec fibras continendo musculares. Rectum solitam suam tenuit viam. Partes huic incumbentes dissecuit ve-

sicam investigando usque ad funiculum umbilicalem, ubi in tubulum erat oblongata urachumque efformavit apertum nec aderat vesica forma pyriformis. Intestina haec omnia, praesertim rectum excrementa continuere pene cinerea at nullum meconium. Anus erat imperforatus atque rectum sub utero in saccum excurrit cœcum una cum nonnullis membranis ad anum excurrentibus. Saccus hic excrementis illis modo descriptis plane erat impletus.

Aorta ramos habuit superiores normales. Venae aderat ostium ex rene illo in ramos divisae tenues sicuti ii, quos ab aorta ren recepit; haec superiores ad partes ramos misit ad musculos vertebris costasque, inferne venas duas emisit iliacas normales. Aorta inferne iliacam efformavit dextram. Vena praeterea aderat umbilicalis maior, quarum in parte utraque ateriae aderant umbilicales; harum una ex iliaca venit dextra, arteria iliaca sinistra plane non inveniebatur. In latere sinistro arteriae umbilicalis plexus erat coniunctus arteriosus in aortam forsan excurrens. Aorta ramos emisit ad partes superiores magnos, ubi exiguis ramis vasa incepere venosa.

XXII.

Deleurye.

Archiv. de l'Acad. de Chir. No. 62.
L. f. a. p. B. pag. 30.

Deleurye fœtum descripsit monstrosum gemellum cum infante perfecto enatum. Aberat huic caput extremitatesque superiores, vertebrae reperiebantur duodeviginti. Sternum aderat atque costae duodocim una in parte, in altera novem reperiebantur. Cor desidearabatur. Pectus erat massa impletum vasculosa quam auctor pulmones referre censet. Diaphragma aberat, sicut lien, vesica fellea renesque. Aorta etiam venaque cava reperiebantur. Ossa erant tria metatarsi, tresque digiti in pede dextro atque duo in sinistro.

XXIII.

J. G. Giel.

Enarratio quam attuli, sub Icone Monachii 1773. sculpta scripta erat.
Baldingers Neues Magazin für Aerzte. XX. Band. 5tes Stück. S. 441.

Busch Beschreibung zweier merkwürdigen menschlichen Miß-Geburten. Marburg 1803.

T. A. d. k. M. pag. 16.

Monstrosus hic partus in lucem prodiit d. quarto m. Julii a. 1773 Monachii in Bavaria, edita una hora prius a matre puella 9 mensium incolumi: figura erat, quam icon exhibet, vid. Tab. V. 10. poll. gallicos longa, lata 8.

Sectio anatomica detexit omnia ossa pelvis et pedum, exceptis in utroque geminis digitis. Cavitas pelvis dextra maior et amplior sinistra, continebat in se omnia intestina tenuia et crassa, de renibus dexter aderat, sicut et ureter cum vesica, ac genitalibus sexus fœminini, cum congruis arteriis venis et nervis. De corde, pulmonibus, hepate et splene, sicut et de capite, thorace, brachiis nullum vestigium.

Secuit Jacobus Giel, Stat. Prov. et Metropol. Chirg. et obstetr.

XXIV.

Du Monceau.

Journal de Médecine. Paris 1768. *Tom. XXVIII pag.* 525.

T. A. d. k. M. pag. 16.

L. f. a. p. B. pag. 16.

Mulier quae iam decem infantes enixa erat, graviditatis octavo mense fœtum acephalum sine thorace, extremitatibus superioribus destitutum peperit, qui octo pollicum longitudine, ex abdomine tantum, pelvi et inferioribus extremitatibus constabat. E medio abdomine funiculus umbilicalis duos pollices longus, tenuissimus ortus est, qui, ut du Monceau dicit, modo densitate grani erat. Femora, crura, pedesque maxime crassa erant. Cum thorace fœtus etiam corde carebat cetero-rumque organorum thoracis erat destitutus. Quinque diebus post, iteratis ad partum doloribus mulier infantem bene formatum molamque vesicularem enixa est.

XXV.

Cooper.

Phil. Trans. 1775. *Vol. XXVII.*

Phil. Trans. Vol. VL. part. 1. *pag.* 311.

Rozier, Journal de Physique 1777. *Tom. IX. pag.* 306.
T. A. d. k. M. pag. 34.
L. f. a. p. B. pag. 35.

Mulier 23 annos nata puellam peperit bene formatam deinde monstrum acephalum sine collo extremitatibusque superioribus, praeter haec plane efformatum. In colli loco tumulus erat parvus mollis papillae femininae magnitudinem superans. Brachiorum loco in unaquaque parte parva erat papilla magnitudine et forma similis calamo scriptorio. Partes infra umbilicum bene erant formatae praeter digitos deformes nonnullosque eorum concretos. Genitalia feminina externa normalia. Cerebrum medullaque spinalis aberant, quamvis in abdominis cavitate nonnulli invenirentur nervi, quorum origo amplius investigari nequibat, ne monstrum destrueretur. Genitalia feminina interna praeter ovarium aderant, vesica urinaria ita erat coarctata, ut nullam efformaret cavitatem. Ab ano intestini ampla exoriebatur pars quae supra pelvim plures ostendit gyros atque tum in cavitatis abdominalis parte sinistra sacco desiit cœco. Intestini pars humore erat repleta decolori mucoso, quem Cooperus meconium putabat esse fluidum mucosum ab intestinorum glandulis excretum atque felli admixtum. Pone renes glandulae erant suprarenales. Ventriculus, hepar, lien, pancreas, intestinaque tenuia aberant, nec cor inveniebatur nec ipsum diaphragma. In columna dorsali magna decurrit arteria pro aorta forsan habenda. Multos haec emisit ramulos in trunci partis laterales atque in organa abdominalia. Ex hoc duae etiam exoriebantur arteriae umbilicales atque arteriae extremitatum inferiorum. Vena umbilicalis, ubi abdomen per umbilicum intrabat, in duos magnos dividebatur ramos quorum alter sursum, alter deorsum decurrens ramos emisit cum arteriae ramulis divergentes. Funiculus umbilicalis duorum tantum erat pollicum itaque tenuis, ut in partu ab umbilico discerperetur.

XXVI.

Béclard.

L. f. a. p. B. pag. 29.

Infans masculini sexus acephalus septimo natus est mense in oppido Caen A. 1776. In latere dextro processus erat parvus molimini brachii haud absimilis, umbilicus erat pyriformis, qui et intestina includebat. Pedum unicuique duo tantum erant digiti tela cellulosa subcutanea pectoris atque abdominis pollicis

erat crassitie. Columna vertebralis desinebat in pectoris apicem vacuum, diaphragma aderat. In abdomine nec lien, nec vesicula fellea, nec ventriculus nec pancreas reperiebantur. Intestina occlusa incepere. Aderant renes, ureteres, vesica urinaria, testesque.

XXVII.

Guignard.

Archiv. de la Chir. No. 21.
L. f. a. p. B. pag. 27.

Formam externam huius monstri a Celeb. Desaultio dissecti icon exhibet. Columna vertebralis a vertebra dorsali XIIma suum cepit initium. Pelvis normalis erat. Os unicum curvum novem lin. longum sub cute latuit in partibus superioribus. Renum unus tantum aderat cum uretere et vesica, testes etiam inveniebantur. Vena umbilicalis una cum arteria reperiebatur; medulla aderat spinalis nervique hinc inde excurrebant. Praeterea ceteris acephalis hoc monstrum simillimum erat.

Vid. Iconum Tab. VI. fig. 1.

XXVIII.

J. E. Gilibert.

J. E. Gilibert, Adversaria medico practica prima etc. Lugduni 1791. *pag. CXXXII.*
L. f. a. p. B. pag. 37.

In nosocomio Grodnensi, anno 1779, rustica nomine Anna, XXIV annorum quinto mense gravida, post casum dolores ad partum sensit, qui cito creberrimi post III horas duos fœtus expulerunt. Examinavit attente utrumque; erant feminei sexus, alter sat bene conformatus, praeter brachia, quae inverso sensu erant articulata, tali modo, ut in suspenso fœtu, flexio brachiorum dirigeretur ad dorsum. Sternum erat depressum in pectore, angulumque sat acutum formabat. Nymphae et clitoris erant portentosae molis, relative ad volumen corporis.

Palpebrae epidermidi sat firmae erant agglutinatae: elevando palpebram superiorem, non levi conatu dilaceravit membranam tarsos agglutinantem. Caput superabat molem totius corporis; evidens erat copiosa quantitas seri inter cutem et cranium; post evacuationem, cutis plicata segmentum circuli exhibebat supra ossa, cuius chorda altitudinem duorum pollicum et dimidii suppeditabat. Aperto thorace et abdomine, nihil insoliti invenit; sedulo enucleavit omnia viscera, nullum deficiebat, nihilque insoliti in conformatione invenit, nisi sulcum profundum in sterno, prorsus deficiente cartilagine xiphoidea.

Hepar maximae molis extendebatur aequaliter in utroque hypochondrio.

Fœtus secundus etiam feminei erat sexus, nec caput, nec brachia ostendebat; truncus erat simplex, convenienter formatus. Premendo partem superiorem convexam, Gilibertus sensit duritiem, quasi a tactu clunium aut femorum; in dorso erat depressio longitudinalis, sicut in statu naturali. Facies laterales huius trunci erant parallelae et convexae, sed nulla protuberantia observabatur in regione brachiorum. Facies trunci anterior plana erat, lateraliter subconvexa. Tota trunci longitudo pollicum erat 3 et 1/2 crassities 2 pollicum. Funiculus umbilicalis in tractu suo aequalis; versus placentam exhibebat membranam triangularem, basi trianguli trium pollicum; in pectore ne vestigia quidem mammarum inventa sunt: in media parte pectoris sumendo mensuram ab umbilico ad verticem trunci non multum ad latus, in sinistra parte erat depressio margine irregulari; in hac depressione tumor petiolatus petiolo brevissimo suspendebatur. Tumor iste mollis sat bene exhibebat figuram cordis alterius fœtus, et erat vere cor nudum, extus super pectus pendulum sicut videbimus infra. Regio penis singulariter protuberabat. Nymphae et clitoris maximae erant, sicut in sorore, femora crassa et solida pinguioraque quam in altero fœtu; in femore sinistro protuberantia erat obliqua a commissura cruris ad mediam partem; crura bene conformata, pedes iuxta latera compressi: in pede dextro tres tantum digiti, pollex, secundus et medius: in pede sinistro duos invenit, pollicem, et medium. Femorum et crurum cutis erat alba; clunes carnosae, albae; anus apertus; dorsum, pectus et venter apparebant quasi caro hepatis, scilicet saturate rubra. Longitudo totius fœtus septem pollicum, longitudo trunci trium et dimidii.

His omnibus attente perlustratis, et delineatione accurate peracta, Gilibertus processit ad dissectionem: incepit a facie posteriori trunci; incisione peracta ab ano ad verticem trunci, lente separavit musculos dorsi; penetravit usque ad columnam vertebralem, quam invenit integram quoad os sacrum, vertebras lumbares et dorsales: forcipe aperuit iuxta totam longitudinem thecam medullae spinalis; invenitque ibi medullam bene conformatam cum involucris suis: distincte vi-

dit omnia paria nervorum qui nascuntur ex medulla spinali; incisis membranis, medulla apparuit nec crassior, nec tenuior, quam in statu naturali pro hac aetate; superius in tribus vertebris dorsalibus emaciata erat medulla, nec paria nervorum emisit. Primae vertebrae dorsi orificium obturabatur textu celluloso sat denso et copioso; in vertice producta incisione et prolongata anterius usque ad umbilicum, lente penetravit scalpellus profunditate unius pollicis in massa densa, fibrosa, cuti valde adhaerente, parenchymate, ut hepatis in adulto, quae totam superiorem partem trunci constituebat, intusque fornicem formabat supra pulmones, et primam vertebram dorsi. Diu et attente quaesivit vestigium cranii et cerebri, sed frustra; invenit tantum super apophysem transversam sinistram primae vertebrae dorsi, nucem osseam, magni pisi molem aequantem, vertice apertam, ex ossiculis variis et irregularibus fragilissimis constructam: in hac capsula nihil etiam oculo armato, discernere potuit, nec textum cellulosum, nec frustulum minimum substantiae cerebri aut cerebelli; in anteriori parte, lente diductis incisionis oris, nihil simile sterno observavit. Erat tantum textus cellulosus sat laxus qui pulmones protuberantes connectebat cum cute. Frustra claviculas quaesivit, nec non primam et secundam costam, sed reliquas costas distincte vidit. *Cor in pectore diu et inutiliter* quasivit; tandem lassatis venit sub oculos tumor exterius super pectus appensus, qui attentius examinatus distincte exhibuit figuram cordis et auricularum.

Aperuit ventriculos cordis: invenit trabeculas carneas et valvulas, duo foramina distincta ducebant in pectore canalem unum qui descendebat in abdomen: iudicavit aortam descendentem, sed in vicinia curvaturae nullum ramum invenire potuit. Ceterum, pulmones erant bene conformati, similes pulmonibus alterius fœtus, sed nihil simile cum trachea arteriali exhibebant. Ulterius penetralia examinando frustra quaesivit aliquid analogum diaphragmati; intestina convoluta replebant imum ventrem; adhaerebantque textui celluloso laxo cum pulmonibus; nec vestigium aderat nec portiuncula hepatis. Pancreas invenit, sed frustra quaesivit lienem; meconii sat copiosa quantitas replebat superiora intestina, quae aequalia quoad diametrum erant iuxta totam longitudinem, usque ad intestina crassa, quae vere visa sunt ampliora, sed nec œsophagum, nec ventriculum extricare potuit; in vanum etiam quaesivit renes et uterum, intro ducendo fistulam tenuem in orificium vulvae et, flando tantum vesiculas textus cellulosi in regione uteri.

Tab. VI. fig. 2.

XXIX.

R. Bland.

Phil. Trans. Vol. LXXI.

Journal für Geburtshelfer I. Band. S. 45.

Femina annorum 27 postquam solitis ad partum doloribus partum femellum ediderat cum placenta, triduo post iterum vehementes in dolores incidit ac monstrum enixa est quod protinus describam. Uterus post partum priorem non erat prolapsus, credebant autem eius tumorem ad sanguinis coagula referendum esse. Monstrum illud globosa erat figura paullulum utrimque compressum octo in diametrum pollices patebat, ponderisque erat unciarum octodecim. Funiculus eius umbilicalis tunicarum parti adhaerebat placentae. Monstrum epidermide undiquaque erat involutum paullulum supra funiculi umbilicalis insertionem pilis obsita qua parte tuberculum prominebat osseum quod occiput referre videbatur. Totum corpusculum vasis sanguiferis bene erat instructum, nimirum a funiculo umbilicali oriundis, indeque ad singulas partes proficiscentibus. Aderat quoque capsula ossea cum cerebro et medulla oblongata, unde nervi per ossium foraminula prodibant, viscerum autem pectoris vel abdominis ne vestigium quidem. Reliquae partes massa tantum adiposa erant. Extremitates nullae.

XXX.

A. Bonn.

Ontleedkundige Beschrijving en Aanmerkingen, over het Maaksel en de væding eener zeldzaame en wanstaltige menschliche Vrucht etc. door A. Bonn. Sine loco et anno.

Anno 1781, graviditate naturaliter peracta, mulier quaedam peperit infantem sanum, beneque formatum postquam pedes alius infantis protracti erant, cum partibus tantum inferioribus monstrosis. Aberant huic monstro caput, collum, pectus extremitatesque superiores; funiculus umbilicalis synchondrosi ossium pubis iusto erat propior. Genitalia aderant, de quorum sexu erat dubitandum. Quoad externa inspiciatur icon, funiculus umbilicalis septem pollices longus in truncum teretem occlusumque desiit. Huic tamen inerant vasa duo. Columna deerat dor-

salis et os sacrum, sed ossa ilium reperiebantur. In internis gyri nonnulli apparebant intestinorum qui in parte sinistra S romanum efficere in anum decurrens videbantur. Anus erat occlusus.

Vid. Iconum Tab. VII. fig. 1.

XXXI.

V. Moreau.

Dissert. anatomico-physiologica etc. auctore V. Moreau etc. Nancy 1784. *L. f. a. p. B. pag.* 38.

Champion de Bar agnum dissecuit acephalum extremitatibus superioribus orbatum. Vertebrae cervicales desiderabantur, costae erant irregulares, vestigia simul aderant sterni, diaphragma fuit cellulosum. Organa thoracis nulla aderant. Hepar, lien, pancreas renesque aberant. Anus occlusus. Tubus intestinorum rectus, genitalia non inveniebantur, exceptis mammillis.

XXXII.

E. Odhelius.

Neue Abhandl. der Königl. Schwed. Akad. d. Wissensch. 6. Band. 1786. S. 172. *T. A. d. k. M. pag.* 44.

Cum ad mulierem venit parturientem quae puerum iam ediderat, vita bonaque forma gaudentem, vidit alium adhuc instare partum, invenit enim massam oblongam atque elasticam, quae in doloribus ad partum paene perpetuis caput quam maxime reddebat, simul vero membrum adesse cognovit pedi deformi simillimum. Die insequente monstrum iam delineatum dissecuit, praesentibus viro Collegii assessore Hedeno, professore Almio atque Haystrœmio et experientissimo Afzelio.

Monstrum massa erat oblonga, deformis superne rotundata, in cuius fine inferiori crura pedesque erant affixa nec ullum aderat capitis vestigium collive, vel brachiorum. Iam suas in illud exercuerat putredo vires, sic ut cutis hic illic a partibus interioribus iam esset seiuncta. Longum omnino erat 14 pollices quo-

rum novem ipsum explevit corpus, crura pedesque quinque erant pollicum; perimeter superne 18 1/2 erat pollicum atque inferne 7 1/2. In fine superiori cognovit cranium quasi sub cute latens atque ubi alias ori erat locus, plicam invenit cutaneam per quam specilli ope in telam cellulosam alte penetravit. Altius vero, ubi oculo sinistro erat sedes, similem priori invenit plicam nec tamen profundam, sed in cute finitam. Funiculus umbilicalis tenuis coloris erat ex atro cœrulei veluti a putredine iamiam correptus. Crura pedesque miro erant modo crassa, laxa deformiaque, acetabulum plane normale erat, sed pedes introrsum flexi nec ut fieri solet retrorsum. Pedes ad reliqua relati brevissimi erant introrsum maxime flexi eorumque unusquisque duobus fruebatur digitis.

In dorso nulla apparebat columna vertebralis nec aderant nates, in quarum loco tumor inveniebatur oblongus calvus, laevis ad inferiora propendens sub quo ad anum introiit apertura.

Cutem in plica descidit superiori atque prodiit membrana alba tenax; hac etiam aperta, profluebat aquae ferme amphora una dimidiaque quae nullius erat odoris sed sero erat similis sanguinis. Apertura perspicue inter duo erat ossa invicem non apta nec aderat orbita, ut opinabantur.

Ossa eligebantur totumque invenit caput plane vacuum nonnullas praeter vesiculas aqua impletas vascula sanguinea solitasque cerebri membranas duraque mater prodiit cuti incisa. Nullum aderat vestigium cerebri vel cerebelli nec medullae oblongatae nec originis nervorum. Cum latius in ossa deformis huius cranii investigaret, invenit ea ex duobus constare ossibus bregmatum plane normalibus antrorsum posteriorique in parte cum ossibus duobus ipsis simillimis constructis. Capiti nulla erat similitudo cum capite humano, cui nec oculorum nec aurium nec narium, orisve erat vestigium.

Altera cutis plica in tela cellulosa desiit sub cute. Deinde dissecto pectore, plena inveniebatur aquae pleura, costae sternumque erant normalia, sed nec thymus, nec cor nec pulmones nec œsophagus nec trachea nec maiora sanguinis vasa nervique aderant. Scapulae claviculaeque plane aberant.

Abdomen multum continuit aquae omnique parte peritonaeo erat vestitum, sed nulla continuit intestina, solitum habuit situm diaphragma plane membranaceum. Pelvis bene erat formata peritonaeo inducta, ceterum vero plane vacua.

Funiculus umbilicalis in cavitatem non penetravit abdominalem, nihilominus tamen sectio erat accuratissime instituta; ramos eius citra telam cellulosam non potuerunt persequi. Quoad partes genitales, solum aderat membrum virile parvum, praeputio circumdatum, vario modo plicatum, urethra in glandem erat aperta, ut fieri solet, sed cum corporibus cavernosis iuxta os pubis evanuit.

Cœpit deinde dorsi investigare partes, mirumque omnibus erat, *cavitatem thoracis* hic inveniri priori aequalem, etsi paulo minorem.

Postea tumor pone nates situs, quem supra descripsi, sectus est. Videbatur pars esse cavitatis abdominalis; inerant enim cum aqua multa intestinula, quae ileo atque intestinorum crassorum parte superiori desinebant; cœcum inventum est, ac processus vermiformis unum ferme pollicem longus pennaeque referens crassitiem ac massa impletus meconio simili. Finis superior in mesenterio erat, inferior solito modo in anum excurrebat; hac in parte nulla aderat pelvis.

Columna dorsalis rite dissecta ex vertebris constare incertae figurae reperta est; illae enim corpora sua et in anteriori parte et in posteriori habebant, in cavo eorum saccus aderat e membranis cerebri tenuis atque durus, sed sine omni medulla.

Notatu praeterea est dignum, in toto monstro nihil fuisse musculo simile, praeter stratum supra capitis partes anteriores superioresque, ceterum tela cellulosa laxa tota latebat sub cute, massa impleta solida atque serosa, vel ut Galli nuncupant, glaire cellulaire.

Monstrum a parte anteriori ad longitudinem delineatum

Tab. VII. fig. 2. refert.

A. Cranium sub cute.
B. plica cutis inferior.
C. superior.
D. funiculus umbilicalis.
E. partes genitales.
F. F. femora.
G. G. crura.
H. H. tarsi.
I. I. digiti.

XXXIII.

Duperrier.

Archiv de l'Acad. de Chir. No. 7.
L. f. a. p. B. pag. 26.

Duperrier ad parturientem vocatus est ter iam enixam. Infans masculini sexus planeque evolutus primo natus est, secundus iam pedes obtulit; medicus

hunc extrahere conatus, duos produxit pedes, quamquam leniter traheret. Postea tandem truncum extraxit acephalum sine extremitatibus superioribus. Extremitatibus inferioribus 4 tantum erant digiti, genitalia masculina anusque bene erant formata. Diaphragma non aderat. In pectore tela cellulosa impleto nec cor aderat nec pulmones, lien, vesicula fellea, pancreas epiploon aberant, renes, ureteres, ac vesica urinaria reperiebantur.

Oesophagus, ventriculus, intestinaque parva sicut in avibus erant. Vena umbilicalis in renem decurrit dextrum.

XXXIV.

F. G. Voigtel.

Fragmenta Semiologiae obstetriciae, auctore F. G. Voigtel. Halae 1790. *pag.* 78.

Beiträge zur vergleichenden Anatomie von J. F. Meckel. 1sten Bandes 2tes Heft. Leipzig 1809. S. 142.

T. A. d. k. M. pag. 42.

Acephalus hic septimestris, (a celeb. Selle cum ill. Meckelio communicatus) ut videtur, erat non solum capite, collo, brachiis, pectore, corde, pulmonibus, imo omnibus pectoris et abdominis contentis, excepto rene sinistro cum glandula suprarenali et particula intestinorum destitutus, sed etiam iis, qui ei supersunt artubus, curvatis et contortis deformis erat. Peculiares deformitates externas tabula commonstrat. Est nempe Tab. VIII. fig. 1.

a. Massa mollis carnoso-adiposa, manus dextrae loco, plicis et protuberantiis inaequalis.

b. et *c.* Binae appendiculae, digitis haud absimiles; *c.* unguem habet quo *b.* caret.

d. Plica cutanea.

e. Massa deformis, mollis, cui desunt omnia ossa, brachium et antibrachium repraesentans.

f. Tumor adiposo-carnosus, adinstar mammae hypochondrium dextrum occupans.

g. Tumor eiusdem conditionis in sinistro latere, dextro maior. Incisis his, inveniebatur cavitas e cavitate pectoris et abdominis composita, superius costis

absque sterno, inferius musculis abdominalibus imperfectis definita. In sinistro latere huius cavitatis ren cum glandula suprarenali; in dextro massa fungoso carnea; in medio vero intestinorum pars, proprio sacco membranaceo inclusa, quae ad orificium ani usque progrediebatur, occurrebat.

h. Saccus ille membranaceus apertus et reclinatus.

i. Particula intestinorum iam dictorum propendens.

k. Apertura rotunda, pro insertione funiculi.

l. Funiculus umbilicalis.

m. Processus cutaneus, papillae non absimilis, foveolae suo stilo insertus.

n. n. Plica passim observanda.

o. Infima ventris sedes, visceribus vacua.

p. Regio iliaca sinistra.

q. q. Femora quam maxime contorta.

r. Genu sinistrum cum magno tumore, plica profunda cutanea distinctum. De patella nihil.

s. Idem dextri lateris, cum illo maiori tumore.

t. Crus dextrum situ plane horizontali, ossibus non carens aeque ac

u. Crus sinistrum, priori longius. In huius anteriori ac inferiori parte apparet

v. Processus cutaneus.

w. Pes sinister difformis cum appendicibus duabus ad instar digitorum. Tarsi et metatarsi ossa nonnulla, at digitorum nulla adesse, tactus evicit.

x. Planta pedis dextri, sinistro pede multo perfectior.

y. Regionis ischiaticae dextrae pars.

z. Processus cutaneus, sesquipollicem longus, prope orificium ani oriundus.

α) Orificium ani.

β) Vulva.

γ) Praeputium clitoridis.

δ) Regio ischiatica sinistra.

XXXV.

C. C. Klein.

Specimen inaug. anat. sistens monstrorum quorundam descriptionem auctore C. C. Klein. Stuttgardiae 1793. *pag.* 25.

T. A. d. k. M. pag. 35.

Femina plebeia anno 1788 gemellos peperit, quorum primigenitus sanus, perfectus, magnitudine naturali, alter autem mortuus, valde monstrosus. Die 19 m. Jun. a. 1790 cum accepi, et per totum hoc tempus in spiritu vini erat conservatus.

Loco capitis, de quo nullum vestigium, colli, truncique, massa natibus quasi inclavata, longitudinalis rotunda obtruncata, e natibus a posterioribus et sinistris paulo ascendebat, dextrorsum antrorsumque flexa, summaque dextro femore incumbens, corpus constituens. Superficies superior et posterior anteriore et dextra inde maiores.

Cutis superficies superioris et posterioris rugosior, sed tenuior illa anterioris, laevioris albidiorisque sed et compactioris, linea utrinque parallella ex medio superficiei lateralis recta ascendens in vertice recessu confluens invicem separata.

Ex inferioribus dextrae superficiei exit brachium dextrum mox in cubitum flexum, antibrachio antrorsum ascendente subrotundato, superficie interna excavata, in apice truncato duae brevissimae papillae digitos repraesentantes. In media superficie anteriori papilla brevis, subglobosa, circumvallata, brachio dextro opposita, apice obtuso.

Linea distincte opaciori corpus a natibus separatur, lateribus recessum faciente arcu intermedio.

Extremitates inferiores volumine recens natorum, regionem pubis genitaliaque ruga inter se distinguentes.

E principio et medio abdominis exit tenuis funiculus umbilicalis. Nates ingentes, nullo sulco intermedio, dextrorsum rotundiores eminent. Extremitas dextra sinistra maior sed depressior, femore voluminosissimo, genu extrorsum et crure sursum ad ani regionem flexo, calcaneum anum attingit, et ab eo paulum iterum descendit. Pes extremus retortus, planta lata monstrosa, inque eius margine latiori quatuor digitorum specimina, halluce distincto.

Extremitas sinistra brevior minorique volumine, altior, perpendiculariter descendens, crure dextrae plantae incumbens, mox versus axin et anteriora flectitur inque pedem extremum valde irregularem abit. Triquetrum quasi refert, cuius suprema superficies planta erat parum convexa duorum digitorum specimina monstrans.

Anus oblongus in axi, inferius magis antrorsum situs. Perinaeum profunde excavatum. In genitalibus labia, orificium urethrae et vaginae sat bene distinguebantur.

Pondus totius fœtus aequat unc. VII drach. IV 1/2 pond. med. Longitudine erat 4 poll. 5 lin. rhen. Latitudo ab uno ad alterum genu 3 poll. et 8 lin.

Peripheria baseos corporis 4 poll. 5 lin. Altitudo maxima corporis 2 poll.

Diameter a brachio dextro ad papillam 10 1/2 lin.

Longitudo funiculi umbilicalis ad placentam usque 15 poll. 6 lin.

Una eademque gaudebant gemelli placenta, tres facies referente, superior utero adhaerebat, e duabus lateralibus duo ova dependebant.

Una cum duobus funiculis membranisque habebat unc. XXIII drach. VII funiculus sani infantis multo crassior.

Abdomen ab umbilico aperiebatur. Cavum irregulare, regionem umbilicalem vix excedens, alte carne tectum, sero a spiritu vino coagulato, repletum.

In superiore sinistra parte ventriculus parvus, lunulatus, extremitate superiore magis dextram respiciente, obtusa, œsophagus mox acutus evanuit, nec eius continuationem inveni. Inferior extremitas magis sinistrorsum etiam obtusa, cui superior incubuit. Substantia coagulata repletus erat.

Ab apice extremitatis inferioris ascendit duodenum tenuissimum mox cum glomere acinoso extremitate superiore ventriculi tecto confunditur, an lien? tum tractui canalium subtilissimorum longitudinem dorsi vertebrarum tenentium immiscetur. Ex his duos solummodo, nec hos evidenter, evolvere potui cylindros, dexter duodeno similis, sinister distincte crassior, retro glomus circumveniens, rectaque descendens, et retro uterum in pelvi citius quam in ano cœcus finitus, omnium crassissimus, certissime colon rectumque.

Ad latera intestinorum magis extrorsum ureteres, teretes, crassiores quam intestina, quam ipsum colon; sinistro dexter crassior maiorque in hepatis posterioribus evanuit, indivisus; sinister 2 — 3 ramulis incipiens, quorum principium haud inveni, semper latescebat. Foraminibus longitudinalibus satis magnis, dexter maiori, in collo vesicae urinariae finiuntur.

Vesica urinaria musculis abdominis adhaerens, supra ossa pubis alte ascendens, ampla, tunicis crassis, in urethram abiit angustiorem, rugosam, rugis longitudinalibus valentibus, parvo foramine supra vaginam finitam.

Orificium vaginae illo urethrae amplius, vagina retro urethram, ea amplior, glabra, magis sinistrorsum, cum utero magnum recessum facit, ruga magna in posteriore pariete.

Uterus cum cervice alte in vaginam dependens, longitudinalis, parvus, sursum paulum latior, obtusus, intus rubescens, magna cavitate, rugis pluribus longitudinalibus, parietibus haud crassis. Exibat ex eo aliquid tubae simile non bene distinguendum. Nulla ovaria.

Massa hepati similis dextrorsum sita posteriora superioraque abdominis obtinebat, voluminosa, media exsulcata, ex acinulis rotundis composita, rubescens. Sub-

stantia dextri anguli sua haud adeo acinosa structura a reliqua se distinguebat, inque illa ureter dexter evanescebat. An ren dexter hepati coniunctus?

Cavum thoracis eadem materie coagulata repletum, nullum nec diaphragmatis, nec cordis pulmonumque vestigium retulit, disquisitio systematis vasorum mihi manifeste demonstrabat, nulla adesse.

In pelvi arteriae (arteriarum structura densior ubique bene a teneriori venarum discernenda) amplissimae, a qua ascendentes descendentesque rami coarctantur, inque tenuissimos ramulos abeunt.

His et venae respondent, verosimillime ultimis solummodo ramulis cum arteriis connexionem ineuntes.

Hypogastricae enim arteriae, ab umbilicalibus haud magnis, amplitudine statim crescunt ad iliacarum in aortam communicationem, ita ut iliacarum una aorta quadruplo, hypogastricaque aorta adhuc distincte sint maiores, cruralisque sane adhuc aortae magnitudine. Aorta ab iliacis celerrime se diminuit et in imo dorso sinistrorsum iuxta venam cavam semper diminutior ascendit. Primo postrorsum 3 — 4 haud spernendae abeunt lumbales; tum ex anterioribus arteria tenuis angulo peracuto retrogrado, cum intestino recto descendens, inque fasciculo intestinorum distributa, mesaraicae similis; dein ex lateribus minores 3 edit hepati renalibusque analogas, recta in hepate et renibus aut potius in glomeribus illius anterioribus et posterioribus evanescentes. Nunc in satis magna distantia e quoque latere octo rami angulo ascendente peracuto excurrunt, decursu intercostalibus similes. Aorta valde tenuis abit in (innominatae?) duos insignes ramos oblique ascendentes, quorum dexter maior iterum sic dirimitur, maximus ramulus truncus continuatus cavitatem thoracis effugit, inque brachii dextri internam inferioremque partem una cum vena abit; (arteria subclavia?) minor alius margine ossis sterni evadit, (mammaria?) alter spatium intrat ossis (scapularis?) quartus tenuis internis vertebrarum ascendit, in eorum apice evanescens; (carotis?) minimus iterum sternum adit. Innomminata sinistra (sit venia verbo) minor aequali modo abit in brachialem quandam et ramum tenuem cum dextra carotide parallele ascendentem in sinistris vertebris; (carotis sinistra?) tertius alius tenuis ex angulo innominatarum ascendit in axi vertebrarum, in ascendendo se distribuens.

E duabus venis subclaviis aliisque minoribus oritur vena cava superior, altius quam aorta in innominatas abit, tenuis, prope aortam sinistrorsum descendens, descendendo semper latior. Plures laterales accipit ramulos sub angulis peracutis aeque ut arteriae intercostales illi inosculatos. Retro hepar descendit, ubi et ramum insignem accipit. Alius ex inferiore hepatis parte magnus ramus illam

intrat prope divisionem eius in iliacas. Et iliacae vena cava multo ampliores, hypogastricae cruralesque sensim deminutae. Supra divisionem hypogastrica cruralisque vena umbilicalis lumine satis amplo abibat.

Aeque ac vasa sanguifera extremitatum inferiorum perfecte formata, sic et in his nervi naturales erant. In toto reliquo corpore autem nullum nervi vestigium, nisi aliquot e spina vertebrarum exeuntes tenuissimos surculos excipias, qui autem, si nervi erant, minime, cum illis extremitatum inferiorum consentiebant. Ossa circiter 7mestris infantis magnitudine erant; pelvis extremitatumque bene formata adhuc, sinistra difformiora. Columna XIX vertebrarum haud lata sensim tenuior truncata, rotundiuscula vertebra, sine omni ossium capitis vestigio, terminatur. Canalem earum massa rubra fibrosa implebat, inque hoc in regione lumbari et scapularum duo erant cylindrica longitudinalia ossicula, figurae canalis respondentia, duritiem, si frangebantur, demonstrantia. Si ergo et medulla aderat, sane his interrupta fuit.

Dextra XI sinistra XII costae aderant, postrorsum vertebris iunctae, quarum duae supremae illis colli analogae nullam excipiebant costam. Sternum difforme orbiculare costarum cartilagines iungebat, cuius medio papilla illa insidebat ab osse humeri huius lateris distans inde brachio haud analoga. Utrique lateri sternum inter et vertebras scapula difformis fere quadrangularis adhaerebat, cuius superiorem anteriorem angulum claviculae analogum cum sterno coniungebat.

In anteriore inferiore caput ossis humeri satis magnum articulabat, diaphysi pertenui brevique. In dextro adhuc duo parva cylindrica ossa antibrachii animadvertenda et tria metacarpi vestigia ossea, quibus sinistrum carebat.

Tab. VIII. fig. 2.

Fœtum ab anteriori parte refert.

A. Papilla.

B. Rudimentum brachii dextri duabus cum papillis, digitos aemulantibus.

C. Extremitatum inferiorum sinistra cum tentamine digiti.

D. Funiculus umbilicalis.

E. Vulva.

XXXVI.

J. Clarke.

Phil. Trans. for the Year 1793. *pag.* 154.
Medical Facts and Observations. Vol. VII. 1797. *pag.* 189.
T. A. d. k. M. pag. 8.

Anno 1792 mulier quaedam in nosocomio policlinico, postquam infantem sanum prius ediderat, enixa est massam cuius descriptionem subiunxi.

Partus secundinus habuit massam, ex decidua, chorio et amnio formatam, etiam placentam suam, quae tamen cum placenta infantis perfecti erat coniuncta. Funiculus umbilicalis tenuis erat atque 1 1/2 ferme poll. longus. Massa haec formae erat ovatae vel potius plana in utroque latere diameter longa habuit 4 poll. breviorque 3. In superficie quatuor corpora eminebant, quorum superius fere simile erat pedi cum quatuor digitos, inferius vero multo dissimilius, cum 3 modo digitos ostenderet. Inter utrumque pedem animadvertebatur corpusculum rotundum in quod canalis parvus ducebat, satis amplum, ut continere posset pedem fortiorem, mox vero in saccum cœcum transiens desiit.

Prope funiculum umbilicalem corpusculum tenue eminebat digito haud dissimile in quo etiam ossea massa et articulationes reperiebantur. Nulla capitis vel colli vestigia, nec costae nec lumbi nec genitalia animadvertebantur. Sola erat similitudo cum fœtu humano in integumentis et in conamine duos pedes, unumque digitum formandi.

Monstrum cera iniectum est, os innominatum et femur aeque ac in fœtu naturaliter formata erant, tibia vero et fibula minores, si comparaveris cum femore.

Ubi plerumque os imminatum cum osse sacro iungitur, margini ossis innominati viscerum pars quaedam mesenterii ope iuncta erat affixa. Haec viscera peritonaeo tecta subtilissime cera iniecta sunt. In investigandis vasis funiculi umbilicalis una modo arteria unaque vena reperiebantur, ad superficiem internam ossis innominati meantes. Prope haec ossa ramulos aliquot partibus vicinis reddiderunt, qui mox ob exiguitatem ita evanuere, ut haud amplius ipsos persequi posset. Trunci retrogressi ad symphysin sacroiliacam in huius ossis partem progredientes in multos ramulos excurrebant, qui in partes vicinas sese subducebant. Ita erant omnes internae partes huius monstri singularis constructae neque caput, neque vertebrae, neque costae, neque cerebrum, neque medulla spinalis neque nervi, neque cor, neque pulmones, neque viscera chylopoëtica praeter ea de quibus supra dictum, neque alia massa glandulosa inveniri poterat.

Explicatio tabulae IX.

Fig. 1.

A. Pes ruditer efformatus cum digitis 4.
B. Alter pes imperfectus cum digitis 3 cum tibia et fibula coniunctis.
C. Corpusculum prominens, in quod ducit aditus in saccum cœcum exiens.
D. funiculus umbilicalis.

E. digitus imperfecte formatus.
Fig. 2. Partes internae, partibus carnosis ab ossibus detractis.
B. Os femoris.
C. Tibia et fibula, quacum pes erat coniunctus.
D. Funiculus umbilicalis cum setis duabus in vasa demissis.
E. Setae vasa intrantes ad latus externum ossis innominati.
F. Intestini tenuis portio utrinque sacco terminata cœco.

XXXVII.

A. Monro.

Transactions of the Royal Society of Edinburgh. Vol. III. 1794. *pag.* 215.
Medical Facts and Observations. Vol. VII. 1797. *pag.* 170.
T. A. d. k. M. pag. 22.

Fœtus hic monstrosus post infantem bene formatum prodiit. Monstrum hoc suas habebat membranas, placentam propriam cum funiculo umbilicali breviori. Partes hae plane aberant: Capitis ossa, cerebrum, oculi, aures, nasus, lingua, collum, costarum pars, larynx, trachea, pulmones, cor, pharynx œsophagus ventriculusque omnibus cum intestinis tenuibus, cum ano, hepate, liene, pancreate, omentis, glandulis suprarenalibus, ureterum finibus, brachiis ambobus, patella utraque, pedis ossibus nonnullis digitisque. Supra umbilicum parva erat apertura, quae in cavum duxit pileolo digitorum simile atque in fundo occlusum; similitudo aderat cum ore remota. Funiculus umbilicalis pubis supra ossa pone solitum locum incurrit. Membrum virile longo cum praeputio solitum tenebat modum atque structuram. Truncus constabat ex vertebris sedecim, costis sex, ex osse sacro atque ex ambobus innominatis sive iliacis.

In cavitate abdominali tubi intestinorum erat pars in initio occlusa. Prima canalis intestinorum pars ibi referebat finem, sex erat pollicum atque in cœco desiit, quod processum habebat suum vermiformem. Intestinum crassum tredecim erat pollicum. Rectum in vesicae partem incurrit posteriorem, mucum continens pene pellucidum gelatinosum nec verum aderat meconium. Inter mesenterii laminas XII ferme erant glandulae lymphaticae coloris soliti formaque atque structura, ex quo facile intelligetur intestina vasis lymphaticis fuisse instructa. In trunci

parte superiori a costis occulta duo erant renes magni cum pelvi quisque sua renali atque uretere. Ambo ureteres in parte sua inferiori erant occlusi neque cum vesica urinaria coniuncti. Vesica urinaria formam referebat sacci longi angustique, ex quo urachus exoriebatur. Erat monorchis, cum testis in sinistro tantum latere solito situs esset modo. Urethra pollicem unum inde a vesica urinaria erat occlusa, sicuti etiam pollicem unum ante penis finem.

Medulla dorsalis forma erat conoidea in caudamque transiit equinam. XVIII emisit nervorum paria, quae in origine atque in decursu pene eiusdem erant, cuius in fœtu perfecto crassitiei. Funiculus umbilicalis amplitudine sua optima erat in relatione ad monstri magnitudinem, venam continens duasque arterias sanguinis rubri. Vena umbilicalis utramque simul arteriam lumine superabat, atque iam in abdominis introitu in multos discessit ramos, ad omnes corporis partes decurrentes. Arteriae umbilicales venam ubicunque concomitabantur.

XXXVIII.

J. D. Busch.

Beschreibung zweier merkwürdigen menschlichen Miß-Geburten ꝛc. Marburg 1803.
Prochaska Disq. anat. phys. etc. 1812. *pag.* 153.
T. A. d. k. M. pag. 16.

Anno 1794 in suburbana vocatus est ad mulierem triginta ferme annorum ad partus secundinos in utero restantes solvendos, filia iam nata vivente.

Ceterum narravit huius mulieris maritus, hoc puerperium sextum iam esse, atque in quoque eorum multa suam tulisse coniugem, at in partu hunc antecedente ab obstetrice infantem esse productum viventem post quam fructus immaturus prodierit.

Placentam in utero invenit solito maiorem, maximam ad partem in pariete anteriore partis inferioris uteri affixam, funiculo umbilicali exigua vi abrupto.

Placentam invenit gemellam concretam. Funiculi umbilicales in unum ferme punctum prope marginem placentae erant infixi, quatuor ferme digitorum latitudine invicem sese complectentes, unoquoque suum servante finem.

Quod ad infantem pertinet immaturum, singulare plane videbatur monstrum. Invenit tantum pedes cum natibus atque funiculum umbilicalem in parte

superiori infixum quem mulier obstetrix prius arcessita ad longitudinem solitam absciderat atque subligarat.

In sectione, quam instituit Celeberrimus Brühl, haec sunt reperta. Tota massa dimidium refert inferius infantis abdominis partem maximam extremitatesque ambas inferiores; pedes sunt variformes, in pede dextro digiti 3 exteriores atque in sinistro duo invicem sunt coniuncti. Quatuor habet abdomen aditus. Sunt

a. umbilicus
b. anus
c. vaginae ostium
d. apertura abnormis supra umbilicum.

Totius monstri apex nonnullis crinibus est obsitus. Parva super umbilicum apertura, primo aspectu plicae cutaneae similis, deducit in utrem unum pollicem longum oblique superne atque retrorsum situm, qui in tela cellulosa laxa latet. In pariete superiore eiusdem duas videmus plicas callosas palpebrarum tarso similes; a pariete inferiori debili modo rugata atque fossiculis mucosis instructa, plica mollis retrorsum utrem in duas dividit partes aequales. Hic uter vasis sanguineis gaudet maioribus. Peritonaeum saccum refert oblongum arctumque, continendo ibi finem, cœcum cum maiori processu vermiformi, perfectum colon atque rectum una cum mesenteriis. Fibrae circulares ligamentaque coli, eodem modo perspicue apparebant, exhibebanturque etiam plures appendiculae omentales coli. Omnia intestina vacua erant, praeter mucum crassiorem ex atro viridem, superficiem internam eorum vestientem.

Ventriculus, duodenum, ieiunum, pancreas hepar atque lien plane aberant.

Renes in parte posteriori sub pelvis aditu propinqui sibi sunt atque magnitudine, forma et structura solita. Glandulae renales absunt. Urachus pene usque ad umbilicum cavus filiformis in hoc desinit, vasa inter umbilicalia vesicula urinaria vacua oblongaque urethra ad rimae modum post hymenem in vaginam suam habet aperturam. Partes genitales exteriores sunt normales, vagina cavum refert breve ovale, laeve. In pariete anteriore ostium continet rimale magnum colli vesicalis, in fundo duo adsunt sacculi profundi, ex quorum unoquoque canalis exoritur parvus in remoto collo uteri cœce desinens, vagina ideo initio simplex, in processu ad uterum duplex reperitur. Difficile erat, ipsum invenire uterum, qui inferius in tela cellulosa densa quasi infusus erat, superiori autem parte cum pariete posteriori vesiculae urinariae ita erat concretus, ut unum idemque corpus cum hac efficere videretur. Ex finibus cœcis duorum canalium vaginalium duo perducunt tubuli coarctati ad os uteri exterius, hoc vero ad ca-

nalem colli uteri normalem atque ad cavitatem planam corporis eiusdem. Ostia duo tubarum ex cavitate uteri in duas inducunt tubulos arctos ad unum coniunctos, in quorum fine in sacco, qui aperte iacet peritonaei soliti illi adsunt morsus diaboli.

Corpus ovale tenax cinereum cum initio colli uteri atque cum superficie posteriori corporis uteri coniunctum, a peritonaeo tectum, pro ovario potest haberi.

Funiculus umbilicalis unam continet arteriam duasque venas. Horum ramificatio vasorum hoc fit modo. Arteria umbilicalis divergit in iliacam dextram (postquam intestinalem seu colicam atque spermaticam edidit) brevissimam atque in iliacam sinistram longissimam. Ex iliaca dextra cruralis procurrit atque hypogastrica reliqua, et ex iliaca sinistra renalis dextra prima, renalis dextra secunda, renalis sinistra atque abdominalis superior ad columnam vertebralem atque ad sacculum cœcum supra umbilicum proficiscentes. Hos postquam dedit ramos in cruralem dividitur atque hypogastricam. Divisio venae umbilicalis haec est. Postquam venas abdominales anteriores et superiores inde a sacculo cœco supra umbilicum intestinalem atque spermaticam edidit, dividebatur in venam iliacam dextram atque sinistram.

Nullum aderat vestigium partis abdominalis aortae, omnis vasorum instructio in arteriam umbilicalem simplicem atque in venam umbilicalem erat definita. Contra nusquam vena reperiebatur cava atque aorta; duae adeo aderant arteriae umbilicales tenues soliti cursus atque situs, quae iuxta vesiculam urinariam convergentes ad umbilicum ascendebant. Ubi in ultimam excurrere ramificationem, medulla dorsalis extendebatur usque ad secundam vertebram sacralem, media eius pars superne fortior atque inferne latior erat.

Iconis Tab. X. explicatio.

Partem anteriorem proponit acephali hic descripti.

A. crinium globulus pone funiculi umbilicalis in corpus decursum, qui sacculum definiunt cœcum.

B. pars funiculi umbilicalis quae restat, descissa atque subligata.

C. genitalia fœminina plane normalia perfecte formata atque aperta.

D. pes sinister varus.

XXXIX.

J. J. Sue.

Recherches physiologiques et Experiences sur la Vitalité. Paris an VI. (1797) *pag* 9.

Salzb. med. chir. Zeit. Ergänz. Band I. No. 29. v. 29. Jan. 1797.

J. J. Sues, physiologische Untersuchungen und Erfahrungen über die Vitalität, übersetzt von J. C. F. Harles. 1799. S. 9.

T. A. d. k. M. pag. 9.

Dissecuit fœtum quinque mensium, cui nec caput nec pectus nec ventriculus nec intestina aderant tenuia. Abdominis pars inferior una cum funiculo umbilicali plane exculta aderat, nec minus musculorum abdominalium pars, peritonaeum, cœcum, colon, anus, vesica urinaria, genitalia masculina tam interna quam externa.

Vertebrae lumbares quinque. Pelvis in altera parte extremitasque inferior sinistra apte erat formata. Musculi, arteriae venaeque omnium harum partium perspicue aderant. Ipsa etiam medulla spinalis in vertebris reperiebatur lumbaribus atque sacralibus, ex qua nervi prodibant uti in fœtu perfecto normales.

Sceleton huius monstri in museo Celeb. Sue asservatur.

Vid. Iconum Tab. XV. fig. 1 et 2.

XL.

G. F. Isenflamm.

Beiträge für die Zergliederungs-Kunst von Isenflamm und Rosenmüller. II. Band. S. 269. Leipzig 1803.

T. A. d. k. M. pag. 36.

Mulier quaedam rustica annorum 22 a. 1800 duos peperit infantes. Hora quinta postea quam a prima puella vivente bene formata quamvis aliquanto minori erat liberata, infantem enixa est generis fœminini valde deformatum.

Partus secundini constitere una ex placenta, atque duobus e funiculis umbilicalibus. Monstrum hoc sine ullis vitae signis in lucem editum est.

Pondus eiusdem librarum erat duarum cum dimidia. Magnitudinem icon ad naturam exactissime delineata refert. Primo aspectu iconis statim percipitur, caput collumque plane abesse.

Truncus quem dicimus, quoad exteriora formae est solitae praeter quod aliquanto brevior est et ambo inter brachia teres; quasi in medio processus haeret, in quo cutis dua in labia plicata est ad longitudinem dehiscentia atque non multum curvata, omni tamen destituta apertura. Initio haec labia in maiori cutis cavitate erant occulta, quae circumcirca lanugine erat obsita. Funiculus umbilicalis singulari modo ad superiora recedit magisque in cavitatem thoracis, quam in abdominis intrare videtur. Erat ceterum valde crassus atque ut ita dicam gelatinosus.

Labium vaginae exterius dextrum crassiusculum erat ac maius, ita ut vaginae plane obtegeret introitum membrumque plane referret virile. A trunci margine superiori extremitates procedunt superiores, quarum dextra primo adspectu ex sola manu constare videtur, proprie vero, quod infra elucebit, ex brachio constat, quod maximam ad partem in cute occultum est spongiosa, quae hic truncum circumdat. Manus dextra trium tantum est digitorum uniusque pollicis. Brachium sinistrum valde crassum est atque œdematosum, ut ex icone apparet, sic ut quasi in ampla latere manica videatur.

Hic brachium adest humerusque, in manu vero tres tantum digiti, quorum secundus a tumore lymphatico valde est crassus.

Pes dexter tres tantum habet digitos, quorum duo sursum unusque deorsum versus est.

In pede sinistro tres tantum adsunt digiti, quorum medius in duos videtur esse divisus.

In sectione singularis erat magna illa capia telae cellulosae spongiosae, quae amplum inter cutem spatium partesque, quae hanc circumdedere occupavit. Ubi ossa brachii digitorumque aberant, tela cellulosa copiosior aderat.

Nulli quoque adesse videbantur colli musculi, quorum loco massa aderat tenax membranacea ac cellulosa. Perspicue dignoscebatur musculus pectoralis magnus, cuius cum carne musculari utraque in parte rectus abdominis intime erat concretus, ita ut hic altius quam solet ascendere videretur. Ceterum in loco, ubi plica illa cutanea labiiformis supra descripta erat desumta, nihil aderat praeter quam processus nonnulli cartilaginei angulosi in apicem desinentes, quorum forma, ob partes membranosas telamque cellulosam, qua inter sese et aliis cum partibus erant coniuncti, perspicue non potuit dignosci. Inde a processibus cartilaginosis usque ad musculum pectoralem magnum nihil repertum est, praeter-

quam massa deformis membranacea usque ad extremitates superiores extensa, tactu vero mox perceperunt, cavitatem thoracis mediam cute tantum obtectam esse a musculorum pectoralium finibus sustentatam. Cavum abdominis primo intuitu mirum in modum iis partibus inane videbatur, quae resectis eius integumentis in infantibus huius aetatis bene formatis protinus sub adspectum veniunt. In investigatione accuratiori ventriculum cum producere vellet, tubi intestinorum maximam partem, hoc est intestinum totum tenue libere inter digitos tenuit; haec enim tota pars processu tantum mediante vermiformi ad intestinum erat affixa crassum, ceterum in abdomine plane libera. Incassum hepar quaesivit, ventriculum, lienem atque pancreas, nihil aderat horum. Tubum intestinorum inspexit accuratius ac brevi initium huius cœcum invenit, quod certe ieiuni erat principium, hoc pluribus gyris amplius descendit atque ut solet in ileum transiit. Hoc etiam suam quoad molem naturali erat formatum modo, brevius tantum solito mihi esse videbatur, atque in medio forsan in hoc diverticulum invenit, quale hic Lindemannus atque Haasius descripsere. Hic tantum erit notandum, intestinorum gyros a cuti tantum contineri tenera vasis plane vacua nullamque proprie affuisse arteriam venamque mesentericam superiorem. Ileum ut solet in cœcum desiit, quod processu erat obsitum vermiformi, totum abfuit colon transversum cum omentis. Cœcum in sinistra erat parte, moxque in intestinum colon atque rectum transiit, quod una cum peritonaeo ad columnam dorsalem aliquo modo tela cellulosa tenera erat affixum.

Septum aderat quidem cavitatem inter thoracis atque abdominis, solito in loco, a propria vero diaphragmatis massa valde diversum, nam passim tantum fasciculi fibrarum muscularium dispersi aderant in cuti densiori, praesertim vero in regione columnae dorsalis ita confluxit in telam cellulosam densam circa vertebras sitam, ut fines perspicue non possent discerni. Praesertim vero notandum, hanc cutem nusquam fuisse perforatam. Nonnulli quidem ramuli a truncis maioribus in diaphragma introiere de aortae vero et venae cavae transitu nullum aderat vestigium. Hac inde a parte hanc ob causam in cavitatem inquisivit thoracis. Diaphragma ideo membranaceum in costarum peripheria discidit, at cavitatem thoracis nulla alia re, quam massa mucoso membranacea invenit repletam coloris pulmonum hepatisve, qualem infantum nuper natorum mortuorum pulmones, qui spiritum nondum duxere referunt, nulla vero illi erat forma certa; firmiter costis adhaesit. In aqua fundum petiit, tamen ab aëre extendebatur tubuli ope inflato. Pectoris viscerum nullum aderat vestigium.

Renes succenturiati, renes ipsi, ureteres, ac vesicula urinaria pro aetate monstri iustae erant magnitudinis atque structurae, vesicula vero in pariete posteriori

ad rectum erat concreta, quod uterus atque vagina plane aberant. In recto dissecando vidit intestina crassa non plane inania neque meconio impleta, sed liquore tenui seroso, rubidoque.

Nullum aderat aliud vasis initium quam funiculus umbilicalis. Hic inde arteriae umbilicales in duas divisae sunt partes, tum in ramum, qui ad tubum vadit intestinornm atque pro arteria venaque mesenterica potest haberi, tum in truncum principalem, aortam nempe atque venam cavam. Hos immittit ramos arteria aorta: arteriam renalem dextram, tresque arterias renales sinistras, quarum infima in duos divergit ramos quod continuatur atque arteriae mesenterieae praebet speciem ramique plures, qui partim ad diaphragma, partim per hoc in massam descendunt in cavitate thoracis sitam, partim per haec ad superiores vadit extremitates. Arteriae iliacae suum sumebant decursum. Vena cava hos habuit ramos: ramum magnum vel trunci continuationem, quae ad canalem intestinorum progrediebatur, venas renales duas dextras, alteram pro rene succenturiato dextro, venam renalem sinistram, venam renis succenturiati sinistri. Medulla aderat spinalis, cuius initium non potuit dignoscere, sceleton servandi cupidus. Quamquam deficientibus vertebris colli medulla non aderat, nec oblongata nec spinalis pars altior, unum tamen nervum ad brachium sinistrum secedentem vidit. Nervi aderant cruralis atque ischiaticus. In cavitate nec abdominali nec thoracis nervorum intestinalium ullum aderat vestigium.

Ossicula massae cartilaginosae ope inter se coniuncta tum laevia tum oblonga atque acuta inperfecta videbantur esse rudimenta ad ossa cranii efformanda. His a partibus membrana tenera at fortior ad primam proficiscitur costam indeque a finibus venerat costarum unius partis ad fines costarum verarum alterius partis, sternum enim in hac quamvis aetate adhuc cartilaginosum, non aderat, ceterum costarum singularum aderant cartilagines.

In parte inferiore ossiculi illius cartilaginosi duae aderant scapulae formae singularis, formae enim non trigoni sed rutae magis similis. Processus vero coracoideus proprium videtur esse os claviculis simile absentibus. In parte dextra ossa absunt brachia, manusque ad humerum est affixa, ossa brachii partis sinistrae non multum sunt curvata, in ipsaque manu tria tantum adsunt ossa metacarpi, quorum dextrum perspicue ex duobus constare ossibus videtur.

Columna dorsalis ex octodecim tantum constat ossibus, ex maiori initio quasi, atlantis atque epistrophei molimine, ex duodecim ossibus vertebralibus dorsi atque quinque ossibus vertebralibus lumbaribus. In parte sinistra costa duode-

cima vel infima abest, primaque brevissima altius aliquanto exoritur, quam eadem costa alterius partis, quae paullo longior esse videtur.

Vid. Icon. Tab. XII. *A.* Processus ex duobus cutis labiis formatus. *B.* Funiculus. *C.* Labium vaginae dextrum, membrum fere virile referens.

XLI.

Garnier.

L. f. a. p. B. pag. 24.

Huic Chevreuli (LXI.) monstro plane simile est, quod a Garnerio dissectum, capite, collo, brachiis, pulmonibus, corde ventriculo liene et reliquis visceribus erat destitutum. Sceleton in museo facultatis Parisiensis asservatur.

XLII.

Atkinson.

Phys. and Med. Journal by Dr. Bradley No. 65. 1804.

Harles u. Ritters neues Journal der ausl. med. chirg. Litteratur. Band VI. Stück 1. S. 193.

T. A. d. k. M. pag. 22.

Graviditatis mense septimo mulier quaedam peperit gemellos. Qui primus exiit infans bonam retinuerat formam, in secunda vero puella caput, collum, brachia cum thorace plane desiderabantur. In hac vestigia quidem costarum aderant, sed sine cavitate thoracis propria, in abdomine eiusque funiculo umbilicali sacci quaedem species cœci reperiebatur, qui fortasse cum vasis interiorum aliquem habuit connexum, tamen in investigatione interna externaque incisura tantum inveniebatur imperfecta. In humerorum regione saccus apparebat haud spernendus, sicuti intestina sub hoc expansa atque ad cavitatis extensionem dextram hepar praesertim inesse videbatur. In hoc sacco aperiendo aliquid meconio simile sub adspectum venit, cavitas in parte sinistra multis locis tela quadam erat impleta, inter quam praeterea fila alba nervis latis similes apparebant. Harum cavitatum paries perspicue erat ligamentosus cuteque circumductus.

Abdomen in fœtu hoc parvo inter cavitatum ambarum parietes parvum tantum sibi sumsit locum, hepar maxime perspicue agnoscebatur duobusque magnis

lobis ambas ad partes extendebatur. Lobus unusquisque maior lineis factus est reticularibus a ceteris divergens, sicuti in glandula conglomerata. Vesicula fellea aberat.

Minores ubi fiunt lobi hepatis, vasa umbilicia suam duxere originem convergebantque in uracho, ut fieri solet. Ventriculi, lienis, pancreatisque nullum dignoscebatur vestigium, nec minus coli. Intestina brevissima erant perspicueque in rectum excurrebant normale. Ileum abdominis tenuit medium. In sacco aperiundo ad umbilicum affixo, nonnulli gyri cum coli initio perspicue una cum processu vermiformi animadverti poterant, prius in sacco contenti. Videbatur igitur hic hernia umbilicalis cognata adesse.

Profundius aliquanto, quam renes esse solent, corpora duo parva glandulosa erant, oblonga, ex massa cellulosa sine ullo integumento. Ex his taenia alba vasis carens ad pelvim suam sumsit viam. Uterus, tubae, vesicaque urinaria aberant. Externe specillo tenui in urethram potuit penetrare in saccum cavum desinentem, vel proprius in telam cellulosam subcutaneam. Vagina occlusa esse videbatur.

XLIII.

J. F. Meckel.

Abhandl. a. d. mensch. u. vergl. Anat. u. Phys. S. 165.

Daubenton, Description du Cabinet du Roi. Tom. III. pag. 202. *No.* 318.

Histoire de l'Acad. des scienc. 1746. *pag.* 40.

Allgemeine Hist. d. Natur, nebst einer Beschrbg. d. Naturalien-Kammer Sr. Maj. d. Königs v. Frankr. II. Thl. 1752. S. 130.

L. f. a. p. B. pag. 15.

Figura externa huius fœtus trimestris a Vacher de Besançon anno 1746 observati inque museo regio naturae curiosorum depositi antea quam Meckelius dissecuit, saepius descripta est. Extremitas sinistra superior, ambaeque inferiores perfectae erant, nec brachium sinistrum profundius, quam in fœtibus huius magnitudinis fieri solet, in integumentis communibus latebat. Brachii dextri molimen tantum aderat; quod ex ossibus quinque constare videbatur. Quod humerum repraesentavit, maximum erat, hoc insequebatur secundum minus quod dimidio erat minus latum longumque atque sub angulo recto a primo superne de-

flexit, tum tertium quod sub angulo obtuso a secundo inferne, interneque erat deflexum, eiusdem erat longitudinis at dimidio minus latum quam hoc, suoque in apice quartum ferebat os parvum in directione contraria externe deflexum. Fœtus sexus femineus ex labiis externis non perspicuis effulget, inter quae tamen nec hymenis nec clitoridis invenit vestigia: quorum haec praesertim in fœtu tantae magnitudinis fuisset maior exspectanda. Lineam unam post labiorum commissuram posteriorem anus aderat rotundus in diametro duas, tresve lineas emensus. Sub brachii dextri molimine vesica inveniebatur usque ad columnam dorsalem procurrens, pollicem omnem in dimensionem patens, quae in tela cellulosa subcutanea erat efformata lymphaque erat plena. Cute musculisque abdominis perscissis, perspicuum invenit peritonaeum, in quo intestina organumque hepar referens erant inclusa. Tubus intestinorum 6 erat pollices longus, atque ad pollicem unum cum funiculis umbilicalibus erat coniunctus, reflexus in corpus rediit, atque superne in regione costae sextae cœce desiit.

Toto suo in decursu mesenterii ope ad columnam dorsalem erat affixus.

Aliquanto supra umbilicum hepar aderat in corpore medio atque dextra post tubum intestinorum, quoad ratione corporis, multo minus erat quam esse solet, obtuse triangulare, quinque lineas longum, tres latum maximeque planum duasque lineas crassus, vesicae felleae ne minimum quidem vestiguim invenit. In hepatis lateribus ambobus renes aderant, quorum pro se quisque hepatis superabat magnitudinem. Forma eorum erat inaequalis, quoad massam tamen inter se aequales esse videbantur. In superficie posteriori dextri renis ex facie anteriori sinistri ureter perspicuus ad vesicam descendit, qui per urethram tres lineas longam in labiis illis desiit simplicibus mere externis. Haec erant sexus signa, praeterea enim nec in cavitate abdominali nec extra hanc organum ullum aderat, ita ut lien, pancreas, renes succenturiati atque genitalia plane abessent. Aperta cavitate thoracis, sternum aberat atque cartilaginum costarum coniunctio non arcte sese tangentium. Ceterum ambabus in partibus duodecim invenit costas. In cavitate thoracis ipsa nec cordis invenit, nec pulmonum molimina, sed locum alias ab his occupatum minorem invenit, quam esse solet, atque a tela cellulosa impletum, quae a peritonaei pariete superiore ad costas erat continuata.

Per umbilici aperturam corpus intravit vena umbilicalis, duas lineas in diametro emensa membranarum valde tenuium. Ex hac ramus unus superne sese continuavit, praesertim pro extremitate superiore normali. In exitu suo linearis ferme erat eius diameter, decurritque dextrorsum non multum flexa dimidio pollice indivisa, deindeque in ramum minorem dividebatur extremitati dextrae, atque maiorem pro extremitate sinistra destinatum. Lineam unam hunc infra trun-

cum ex trunco principali vena aliquanto minor excurrit, venam magnam hepaticam duasque minores renales proferendo. In media sub hac parte duo magni exoriebantur rami, qui inferne divergentes solito modo supra os sacrum in venas iliacas sese dividebant. Umbilicalis venae locus, unde omnia haec vasa sicuti ex centro excurrebant, dimidium erat pollicis post introitum ipsius in corpus. Vena umbilicalis ibi tres quatuorve lineas erat ampla. Vasa omnia arteriosa ex aorta oriebantur lineam lata quae sinistram ad partem pone columnam dorsalem decurrit, atque primum superne, sicuti vena in duos dividebatur ramos, quorum sinister duplo dextrum superabat, lineas quatuor hac sub bifurcatione exoriebatur parva arteria intercostalis, lineam sub hac altera ex dextra aortae parte atque aliquanto inferius quatuor rursum eiusdem diametri quae omnes in hepar incurrebant, deinde tres insequuntur pone se invicem ex aortae parte dextra oriundae, quae sicuti duo superiores in musculos dividebantur dorsales. In his tribus exoriebatur arteria ex aortae parte sinistra atque anteriori quae arteriae mesentericae superioris atque cœliacae sumsit partes, atque coniuncta cum arteria quadam quinque lineas profundius quam meseraica inferior ex iliaca sinistra oriunda, quinque ramos tubo dabat intestinorum. Ex iliacis ambabus exoriebantur, ut esse solet, arteriae umbilicales, locis tamen diversis, sinistra scilicet mox post aortae divisionem. In extremitatibus inferioribus vasorum divisio plane erat normalis. Nervum sympathicum nullum invenit in cavitate thoracis, in abdomine vero, in columnae dorsalis ambabus erat partibus.

XLIV.

V. Malacarne.

Ogg. piu inters. di ostet. e di storia natr. etc. del Prof. Malacarne. Padova 1807. *pag.* 9.

De Mostri umani lezione accademica terza del Prof. Malacarne 1811. *pag.* 5.

Harles neues Journal d. ausl. med. chirg. Litt. Band X. St. 1. *pag.* 6.

Prochaska, Disq. anat. phys.

T. A. d. k. M. pag. 23.

L. f. a. p. B. pag. 19.

Formam exteriorem monstri acephali Veronensis. Vid. Tab. XIII. fig. 1.

Cystis rugosa ex cute superne ovata retro applanata in lateribus convexa, ex qua pendent duae appendices symmetricae, femora nempe cruraque, inter quae antrorsum penis Lit. a adest parvus cylindricus sine praeputio scrotoque. Corporis huius altitudo sine extremitatibus ab apice suo usque ad bifurcationem inferiorem pollices comprehendit III lineasque VI, latitudo lin. XVI, diameter pollicem unum.

Tuberculum parvum rubrum lenticulare plane occlusum laeve Lit. b callosum indicat locum, ubi funiculo est umbilicali sedes. Distatque lin. XXX a monstri apice.

Extremitates inferiores calcare plane carent, et quoad reliquas tarsi partes metatarsi digitorumque (quorum loco in pede sinistro cutis brevis adest processus bifidus) duos in longitudinem patent pollices lineasque IV latae sunt in pede. Tibiae solae, in quarum lateribus fibulae non inveniuntur lin. XVIII sunt altae cum genibus ad sinistrum latus conversis, angulo acuto cum femore confluentibus. In parte posteriori extremitatis inferioris tibiae calcar procedit ad inferius flexibilis acutusque scorpionis referens stimulum lin. II longus.

Dissecta est cutis inde ab apice usque ad partes inferiores primoque apparebat columna vertebralis parte superiori antrorsum atque deorsum curvata, ita ut arcus praeberetur species. Huic adhaerebat lamina cornea atra tenuis ad cutem convexa lin. VII longa mediaque lin. V lata. In superficie anteriori superiori huius laminae tres apparent processus. Omnis abest trachea œsophagusque neque ad columnam vertebralem quidquam adhaeret, praeter massam deformem ex ossiculis tenuibus constantem globosque carnis pallidae massaeque ligamentosae cellulosaeque. Lamina illa cornea supra descripta hic prae thorace descendit; a columnae lateribus octo proveniunt costae nec cartilaginis ope, nec ulla alia re antrorsum affixae, ita ut hac lamina elastica in altum sublata, libera apparerent intestina ceteraque thoracis abdominisque contenta.

In thorace vero, *nec cor* nec pulmones nec œsophagus nec ductus thoracicus nec magnae illae arteriae venaeque nec thymus nedum diaphragma aderant, ita ut ambae cavitates a renibus complerentur, renibusque succenturiatis, ab intestinis plane opertis.

Praeter haec inter renes succenturiatos vesica aderat applanata, quae cum omnibus partibus prioribus mesenterii ope corpori adhaerebat neque vertebrarum nec omenti reperiebatur vestigium. Aderat praeterea in parte laterali corpus lenticulare nigrum ultimis in costis duabus sinistris pro liene ut videtur habendum. Ren dexter magis complanatus angustusque sex lineas est longus quatuorque latus; capsula eius suprarenalis lin. est V longa lataque III; ren sinister lin. X lon-

gus VI latus, rhomboideus, renem fert succenturiatum lin. VI longum III latum. Urachus ad cutem non pervenit. Nec arteriae reperiebantur nec venae spermaticae, testes tamen aderant inter musculos iliacos, quorum dexter magis prominebat et in altius ferebatur, quam sinister. Anus erat apertus, penis simul reperiebatur scrotumque plane aberat. Intestinorum extremitas superior duplex erat.

VI.

V. Malacarne.

Oggetti piu inters. di ostet. e di sto. nat. del P. Malacarne. pag. 16.
De Mostri umani lezione accademica terza del P. Malacarne. pag. 8.
Harles n. Journ. d. ausl. med. chirg. Litt. Band X. St. 1. *pag.* 12.
Prochaska, Disq. anat. phys.
T. A. d. k. M. pag. 25.
L. f. a. p. B. pag. 19.

Figura huius acephali priorem plane retulit, praeter umbilicum longiorem pedes longos maximeque varos. Monstrum totum poll. V lin. IX longum erat, quorum tres pollices extremitates efficiunt inferiores. Pedis dextri digitus pollex atque index inter se confunduntur cum unguibus duobus parvis distinctis, reliqui plane de sunt. In pede sinistro pollex est disiunctus distatque ab indice brevissimo; digitus tertius in pedis est dorso inter indicem et auricularem, quartus igitur abest. (?) Columna vertebralis priori plane similis. Ren dexter lin. est X sinister XI longus lineasque VI lati a membrana sunt divisi, in quam vena incurrit umbilicalis. Intestina ac vesica urinaria penis scrotumque perinde se habent, atque in monstro supra descripto.

Vid. Iconum Tab. XIII. fig. 2.

VII.

V. Malacarne.

Ogg. piu inters. di ostet. e di sto. nat. del Prof. Malacarne. pag. 20.
De Mostri umani lez. acad. terza del Prof. Malacarne pag. 9.
Harles neues Journal d. ausl. med. chirg. Litt. Band X. St. 1. *pag.* 14.

G. Prochaska Disq. anat. phys.
T. A. d. k. M. pag. 38.
L. f. a. p. B. pag. 19.

Monstrum hoc Paduense acephalum unibrachium pollices est VI longum caput collumque plane absunt, truncus ipse ita ad sinistrum flectitur latus, ut dextra in parte gibbus prostet ab apice ad perinaeum pollices III lineas I. 1/2 in humeris pollices II latus. Sulcus linea profundior totam decurrit per superficiem anteriorem, partemque superiorem in duas dividit partes aequales. Annulus umbilicalis a pube decem distans lineas lenticularis est. Vulva aperta est, nymphis evidenter instructa, videturque ad partem pertinere dextram. Manus adest sinistra ab humero tenuissimo dependens in cute amplissima quasi in manica occulta est, in longitudinem patens lin. VII. Absunt ulna radiusque, adest vero carpus cum manu subtili quatuor digitorum lin. IX longus.

Pedum dexter tres habet digitos minores a pollice distantes. Pes etiam sinister quatuor habet digitos; pollex huius unum est os minimum, tres vero insequentes unguibus gaudent a pollice remoti sineque ossibus. Adsunt in cavitatibus thoracis atque abdominis renes duo magni parenchymatosi pollicem unum lineasque II longi, latique lin. VIII a membrana quadam sunt divisi diaphragmati simili. Infra hanc tubus adest intestinalis sine ventriculo et reliquis.

Urachus reperiebatur a vesica urinaria excurrens usque ad pubis partes superiores. Uterus tubaeque in pelvi hac angusta ligamenta habebant larga quae ovaria ferebant. Erant vero haec omnia perexigua.

Tab. XIV. fig. 1.

VLII.

V. Malacarne.

Og. p. inters. di. ost. e di. st. nat. del P. Malacarne pag. 18.
De Mostri um. lez. accad. terza, del Pr. Melacarne pag. 11.
Harles n. Jour. d. ausl. med. chirg. Litt. Band. X. St. 1. *pag.* 18.
Prochaska disq. anat. phys.
T. A. d. k. M. pag. 39.
L. f. a. p. B. pag. 19.

Monstrum Paduense acephalum alterum bibrachium pollices V est longum quorum pollices III lineasque VIII truncus habet.

Pectus. atque abdomen in medio lineam habent longitudinalem profundiorem sine ullo funiculi umbilicalis vestigio. Anus natesque sunt normales brachia manusque pollices III lineasque VII sunt longa. Manus dextra quatuor tantum habet digitos auriculari deficiente. Index ad medium est incurvatus extremitates inferiores ab iliis usque ad calcar pollices II lin. X sunt longae. Pes dexter pollicem habet normalem; pro digito secundo atque tertio duo tantum adsunt ossa, abest quartus, minimusque unum tantum habet os, pes sinister pollicem tantum habet, digitosque tres. Absunt tertius et quartus, quintus vero unum tantum habet os. Vertebrae hic etiam sunt antrorsum curvatae, capitis, colli, sternique omnia absunt vestigia. In cavitate thoracis nihil adest praeter massam aliquam quinque lineas longam lineasque IV latam sine vasis thymo similiorem. Absunt hepar, lien, ventriculus omentumque, reperiebantur intestina supra renes decurrentia vacua in ano desinentia. Praeter mesenterium nullum adest vas sanguiferum; ab annulo umbilicali descendit inferiores ad partes urachus magnus planus vesicam continuans urinariam. Sub intestinis apparent ovaria a ligamentis circumdata inferne a renibus suis in sedibus retenta.

Tab. XIV. fig. 2.

VLIII.

V. Malacarne.

Og. piu inters. di oft. e di. st. nat. del Prof. Malacarne. pag. 78.
Harles n. Jour. d. ausl. med. chirg. Litt. Band X. St. 1. *pag.* 2.
T. A. d. k. M. pag. 46.
L. f. a. p. B. pag. 19.

Agnus a Malacarne descriptus carebat capite, pectore extremitatibus anterioribus atque cauda. Cor itidem aberat, lien, renes, vesicaque urinaria. Monstrum ventriculum habebat cum intestinis, mesenterii speciem aliquam. In abdomine parvum aderat corpus, cerebri quod fuit loco, nervis ex illo orientibus. Funiculi umbilicalis vasa erant normalia, abdomen erat deforme sine ulla apertura.

IL.

F. J. Gall et G. Spurzheim.

Recherches sur le Système nerveux en général etc. Paris 1809.
L. f. a. p. B. pag. 19.

Gallius atque Spurzheimius una cum Lodero monstrum dissecuerunt, cui partes tantum erant sub umbilico sitae. In internis nihil erat, praeter renes, organa genitalia feminina, intestina hypogastrica et arteriarum, venarumque trunci. Vertebrae, quae aderant, medullam continebant nervos emittentem. Ceterum plerisque iam descriptis acephalis hoc monstrum simillimum erat.

L.

J. F. Meckel.

Meckels Beitr. zur vergl. Anat. I. Bd. 2. Heft. S. 136.
T. A. d. k. M. pag. 26.

Monstrum hoc pedem in longitudinem patet unum, superne teres atque ubique cœce desinens; in dorso, sinistram ad partem magnus adest tumulus rotundus, sero impletus. In regione femorum monstrum antea coarctatum nunc rursum dilatatur. In pede sinistro longiori atque angustiori tres adsunt digiti, in dextro quatuor. Scrotum reperitur penisque. Columna dorsalis ex vertebris constat tredecim, quarum quinque lumbares, octo dorsales abnormes. Vertebrarum dorsalium tertia, quartaque normales sunt. Costae sunt dextra in parte septem, in sinistra octo. Sternum osseum non reperitur, sed cartilago transversalis thoracem occludit. Extremitates superiores nullae sunt, inferiores, exceptis pedibus, normales. Musculi non affuere sed massa aliqua durior. Nervi sunt normales, cavitas thoracis tela est impleta cellulosa. In tubo intestinorum crassa tantum evoluta sunt intestina, in quibus striae longitudinales tres non adsunt, ut solent, sed ex fibris longitudinalibus constant, totum intestinum circumdantibus. Supra vertebras lumbares ren unus adest ex ambobus concretus, unde utrinque ureter ad vesicam excurrit, urachus vero ut fieri solet, ad funiculum vertitur. Adsunt dextra in parte testes duo, ex quibus sicuti ex sinistro simplici vasá excurrunt deferentia. In funiculo tria adsunt vasa; vena umbilicalis in duos divergit truncos, iliacas ambas, ex quarum altera arteria dextra umbilicalis exoritur. Adsunt praeterea rami, ex quibus arteria fit mesenterica inferior. Sanguinis tamen circulatio non videtur affuisse.

LI.

J. F. Meckel.

Meckels Beitr. zur vergl. Anat. I. Bd. 2. Heft. S. 145.
T. A. d. k. M. pag. 28.

Monstrum pollices sex, dimidiumque longum, maxime imperfectum est, cum nulla adsit cavitas thoracis, praeter costarum ultimarum molimina imperfecta. Genitalium loco tumulus adest dimidium pollicem latus, altitudine crassitudineque aliquanto minori; insidet stilo non multum contracto sed breviori, in medioque cavitas rotunda cœca nonnullarum linearum. Tumulus hic spongiosus nihil aliud nisi clitoridis penisve praeputium esse videtur, in superficie eius inferiori, cavitas adest ad sinistram posita partem, ante quam corpus clitorideum trigonum, quod in facie sua inferiori ad longitudinem in supremis tantum hiat atque in basi sua aperturam habet ad anum ducentem.

Tubus intestinorum undecim pollices est longus, quorum tres tenue intestinum occupat, octo dimidiumque intestinum crassum habet. Intestinum tenue cœcum superne duplicique modo per apices duos inter se aequales desinens. Intestinum tenue crassumque in diametro duas lineas emensum, in tribus tantum pollicibus extremis ab intestino crasso excipitur, hic protinus pene in triplum dilatatur atque rursum usque ad lineae amplitudinem se contrahit, quam ad anum usque servat. Usque ad huius dilatationis initium membrana interna multas effecerat plicas longitudinales transversalesque, quae protinus evanescebant in loco dilatato atque in dimidio tantum ultimo tumuli adsunt duo transversales annuli plane paullulum invicem a se remoti. Genitalium nullum adest vestigium, urethra vero brevi ante intestini crassi locum dilatatum in coarctatum aperitur, atque systema urinarium cum intestinali uno tantum gaudet exitu. Vesica urinaria praesertim est angusta, parvaque urachi tantum latissimi dilatatio usque ad funiculum aperti. Renes adsunt amplius pollice longi, nulli vero renes succenturiati.

Cordis nullum adest vestigium. Vena umbilicalis latissima in renes excurrit, tubum intestinalem extremitatesque inferiores. Arteriae umbilicales suo *loco* in hypogastricam ineunt. Systema arteriosum huius fœtus ex arteria constat angusta supra renes in ramis parvis divergente, ex qua, fieri ut solet, arteriae renales, intestinales iliacaeque exoriuntur. Systematis venae portarum nullum adest

vestigium. Ex vertebris quinque aderant lumbares, duaeque ultimae dorsales, hisque insidebant duo ossa super se invicem adnata, quorum infimum inaequali modo tetragonum altius latiusque quam vertebrae dorsales superneque angustius, supremum vero minus trigonum, superneque valde acutum exhibebant. Pone vertebras costae aderant tres infimae.

LII.

G. Prochaska.

Prochaska Disq. anat. phys. pag. 148.
T. A. d. k. M. pag. 29.
L. f. a. p. B. pag. 20.

Fœtus circiter septem mensium, perfectus acephalus, undecim pollices longus, duas libras et unam unciam ponderans, valde torosi et pinguis habitus, cute plurimis et minimis rugis tota inaequali reddita, a Celeb. Prochaska in spiritu vini asservatur. Caput et collum integrum deest, in quorum loco parvum tuberculum oblongum in parte superiore et anteriore trunci, supra mammas prominet. Truncus extremitatibus superioribus destitutus, in parte sua anteriore brevior, quam in posteriore est, funiculus umbilicalis mox infra mammas solito altius inseritur; in cuius sectione transversa distincte vena umbilicalis et duae arteria apparebant. Infra tumidum hypogastrium penis iusto maior ac deformis, sine praeputio et sine glande prominet, cuius urethra in parte sua inferiore tota usque ad perinaeum fissa est, ubi specillum haud ultra trium linearum longitudinem immitti potuit, anus quoque apertus externe, interne clausus est, scrotum nullum, pedes valgi cum digitis tribus deformibus et unguibus destitutis.

Inter tegumenta communia textus cellulosus, cuti substratus, in pluribus locis ad pollicem crassus, densus ac coriaceus, olei nihil continens, musculos ubique consuetos tegebat, quos tam in abdomine, quam in dorso ac clunibus Prochaska omnes distinguere poterat. Abdomine et pectore in parte anteriore ad longitudinem aperto, duae cavitates propriis membranis investitae et septo transverso, diaphragma referente, divisae, inveniebantur.

Vid. Tab. XV. fig. 3.

Cavitas superior septo longitudinali mediastinum simulante in dextram et sinistram separabantur, quarum quaeque viscus notabile oblongum continebat,

propria membrana investitum, undique liberum, tantum parte sua interna et media ad mediastinum adhaerens.

Haec duo viscera non procul a pelvi dissita, primo intuitu pro renibus haberi poterant, nisi illorum in cavitate superiore, per mediastinum divisa, situs liber magis pulmones esse suaderet, quanquam nulla trachea ad illos accedens aderat.

In mediastini parte dextra parva et mollis appendicula observabatur, ex qua vas sursum adscendere et rursus deorsum incurvatum descendere visum est, quod, cum iniectionem non sustineret, ultra persequi non licuit. Cavitas inferior sub diaphragmate proprio peritonaeo cincta canalem intestinalem complicatum continebat, qui sub diaphragmate cœco principio exortus, per plures anfractus procedendo, tandem ad anum clausus terminabatur. Hic canalis parum amplus, praeter paucum mucositatis nullum meconium continebat. Ad latus dextrum prope intestinalis glomus canalis testiculus dexter peritonaeo adhaerens inventus fuit; ceterum nullum hepar, nullus lien, nullus ventriculus, imo et nulli renes, quamquam retro peritonaeum in consueto loco ad lumbos sollicite ille quaesiverat, reperiebantur.

Aperta theca vertebrarum, in conspectum venit medulla spinalis, media tenuior superius et inferius crassior; superior eius extremitas in angustum finem extenuata prope ante dictum tuberculum desiit; inferior cum sua cauda equina usque ad os sacrum protendebatur.

Nervorum radices ex medulla spinali per paria procedebant, superiores dorsales tamen, non ut solent oblique descendendo, sed oblique adscendendo progrediebantur. Nervus intercostalis reperiri non poterat, sed lumbares usque ad cruralem, et sacrales per ischiaticum usque ad poplitaeos prosequebatur qui normali modo se habebant.

Vid. Tab. XVIII. fig. 1. et 2.

LIV.

G. Prochaska.

Prochaska Disq. anat. phys. pag. 150.
T. A. d. k. M. pag. 18.
L. f. a. p. B. pag. 20.

Fœtus hic acephalus, septem circiter mensium est, torosi ac obesi habitus,

trunco extremitatibus superioribus destituto et parte eius anteriore valde in brevius contracta, ubi pectus penitus deficere videtur. In parte eius superiore tuberculum molle cutaneum capitis loco prominet, circa quod capilli radiatim dispersi cernuntur. Paulo infra illud tuberculum maior protuberantia in anteriore trunci parte est, plicata, prolapsum intestinorum mentiens, intus plures cellulas non communicantes habens, ex cuti externa continuata, infra quam insertio funiculi umbilicalis, duabus arteriis et una vena instructi habetur. Infra regionem pubis et inter femora nullum vestigium partium genitalium nec ani reperitur. Femora parte sua anteriore valde tumida, crura brevia, et pedes valgi, quorum quisque tribus digitis deformibus instructus est. Inter cutem et musculos ubique textus cellulosus crassus et coriaceus, absque pinguedine in pluribus locis etiam pollicem crassitie sua superans, notabatur.

Trunco in parte anteriore longitudinaliter aperto, post crassum textum cellulosum musculi abdominales distinguebantur, sterni nullum aderat vestigium nec ullum pectoris et abdominis cavum, totum replebat textus cellulosus laxus, in quo aliqui anfractus canalis intestinalis observabantur, textui celluloso adeo intricati, ut eius nec principium nec finem detegere, nec decursum sequi liceret. Omnium reliquorum viscerum ne minima quidem nota erat.

Cum hic fœtus etiam per plures annos in spiritu vini asservatus esset, vasa umbilicalia iniectionem non admittebant, qua illorum per internam trunci partem distributio examinari potuisset.

Spinam dorsi examinando, iuxta dorsi longitudinem a tuberculo illo, supremae trunci parti insidente, incipiendo, usque ad os sacrum cutis et textus cellulosus dissectus est, quo facto ad stratum musculorum parti posteriori spinae dorsi insertorum perveniendo, spira ad latus sinistrum incurvata et vertebris colli carens inveniebatur, ad quam nullae costae adhaerebant. In spinae dorsi cavo, ablatis processibus spinosis, medulla spinalis cum radicibus nervorum spinalium et cum cauda equina clare apparebat, cuius extremitas superior in duos ramos divisa tuberculum illud, capitis locum occupans, petiit, in eoque evanuit.

LV.

F. Tiedemann.

T. A. d. k. M. pag. 1.

Mulier quaedam viginti quatuor annorum, infantes enixa bene formatos, tertio puellam peperit bene formatam cum monstro feminino.

Ambo hi fœtus placentam habebant ovique membranas communes.

Monstrum inde ab abdomine, infantis dimidii tulit formam, ponderis erat medicinalis duarum librarum VIII unciarum.

Longitudo eiusdem XI erat poll.

Homo hic abdominalis, ut ita dicam, massam praebebat deformem, cute obductam plane efformata at œdematosa ac rugosa pilisque tenuioribus et lanugine ubique obsita. In corporis margine superiori nullum aderat vestigium oris nec alius aperturae ad corporis partes interiores ducentis; pollicem IIque lineas infra marginem superiorem in superficie erat anteriori tumulus quasi pilis tectus, dimidium pollicem longus indicium quasi capitis et rudimentum. Paulo infra hunc tumulum funiculus inserebatur umbilicalis. Ad finem inferiorem abdominis sitae erant in loco intercrurali solito modo genitalia feminina externa, duo nempe magna labia in duarum forma plicarum cutanearum. Labiis a se invicem detractis, cavitas oblonga fossave apparebat, in qua fila plura transversalia erant extensa. Hanc in fossam decurrit superne urethra pauloque infra os vaginae atque ani commune. Haec erat cavitas vel fossa vera plane cloacae similis.

Clitoridem nullam invenit, loco vero eius nonnullas plicas cutaneas exiguas, anus ubi esse solet, nulla aderat apertura. Extremitates inferiores maxime crassae deformes breviores erant; regiones earum singulae perspicue non poterant dignosci ob œdema subcutaneum, in tumoribus tantum globosis prominens, ipsi erant pedes qui dicuntur valgi. In pede dextro IV tantum erant digiti deformes, hallux nempe tresque digiti parvi. In pede sinistro V vidit digitos, hallucem cum IV parvis. Omnes digiti ungues tulere exiguos. Eodem modo deforme erat monstri corpus posteriori in parte. Nates perspicue fornicati non potuerant dignosci.

In incidendis abdominis integumentis exterioribus latex serosus effluxit e contextu celluloso. Desumtis cute atque tela cellulosa musculorum vidit abdominalium vestigia perspicua, coloris pallide rubri atque mollium ad pelvim vertebrasque lumbares affixorum, superne vero tenuiorum atque in telam cellulosam cutaneam excurrentium. Infra musculos abdominales peritonaeum perspicue aderat. In cavitate abdominali intestini erat pars brevis contorta, ambo renes una cum ureteribus atque vesica urinaria. Ventriculus, tubi intestinalis maxima pars, hepar, lien, pancreas atque renes succenturiati aberant.

Parva illius intestini pars in mesenterio pendebat, ambabus peritonaei laminis formato. Haec intestini pars VII erat pollices IV lineas longa; initium eius in latere erat sinistro, fine obscuro in tela cellulosa atque peritonaeo decurrente. Hoc insequebatur pars transversalis, in latus dextrum excurrens, coarctata unam lineam cum dimidia in diametrum patens. Hac intestini in parte appendiculum

erat sesquilineam longum, cœcum, diverticulo simile, fine suo ad annulum umbilicalem vergens. Intestinum hoc paullo dilatatum inter renes decurrit VIII formans gyros usque ad anum. Pollicem ferme ante ani finem coarctabatur intestinum quasi contractum atque hic valvulae similem vidit processum membranae intestini internae, uti valvula illa pene formata, quae in amphibiis intestinum tenue ab ano secernit. Anus ad finem suum cum vagina erat coniunctus. Parte illa intestini curatius investigata, invenit peritonaeum superinductum, quod retro in columna vertebrali ad mesenterioli modum formavit duplicaturam, in qua arteriae erant, venae atque nervi ad intestini partem decurrentes. Absumta cute externa, a peritonaeo formata, membrana animadvertebatur muscularis ex fibrarum longitudinalium parte externa tenuiorum, longiorumque atque ex fibris circularibus perinde tenuioribus externis. Membrana nervea seu vasculosa valde tenuis erat, membrana interna plures formavit plicas longitudinales atque transversales, facie reticulari. In tota intestini parte nulla vidit ligamenta coli nec ideo processus semicirculares. Intestinum continuit praesertim pone anum magnam muci cinerei copiam.

Ambabus in partibus iuxta columnam vertebralem renes erant, quorum sinister dextro maior atque ad pelvim magis demissus, dexter vero altior fereque obliquus erat. Ren sinister novem erat lineas longus in medio VI lineas latus IVque lineas cum triente crassus. Ren dexter VII lin. erat longus V lin. latus, IVque crassus. Renes situm tenebant solitum atque colorem, tantum ex particulis vel lobulis non constabant, ut neonatorum renes, sed massam magis referebant, in qua surculi erant nonnulli exigui superficie in posteriori atque margine interna renum in lobos divisionem indicantes. Ceterum in renibus massa erat tubulosa vel papillata, pariter atque calyces renales ac pelvis renalis perspicua. In hilum renalem vasa intrabant. Ureteres nec forma nec structura a norma recedentes ex margine renum provenere concavo, atque iuxta intestinum ambabus decurrendo in partibus in vesicam se inseruere urinariam. Renes succenturiati in neonatis plerisque maiores hic plane aberant. Vesicae urinariae uter erat VIII lin. longus IIIque latus amplitudine urethram vix superans, nec ab hac ulla definitus constrictione. Superne sensim coarctata infundibuliformis in urachum transiit usque ad umbilicum apertum. Ureteres ambo paullulum superiori in parte in vesicam urinariam incurrere. Funiculi umbilicalis vasa hunc servabant decursum. Ambo arteriae umbilicales in umbilicum penetrabant in peritonaeum decurrentes in cavitatemque pelvis defluentes cum vase se coniunxere arteriae iliacae simili. Vena umbilicalis pone arterias decurrit supra vesicam flexa, mox in pelvim pervenit, cumque vena se coniunxit venae iliacae simili. Amborum trunco-

rum arteriarum unusquisque, quibuscum arteriae umbilicales se coniunxere, in ramum dividebatur ascendentem atque descendentem. Ex ramo descendente nonnulli arteriarum ramuli exoriebantur intestinis, renibus, vesicae urinariae ceterisque musculis abdominalibus destinati. Ramus descendens sicuti arteria cruralis dividebatur, plane enim extremitati inferiori inserviebat. Eodem ordine, quo arteriae divergebant, venae concurrebant desinentes in vena umbilicali.

Systema nervosum monstri huius acephali ex parte medullae spinalis constit inferiori atque ex nervis exinde orientibus. In parte columnae dorsalis superiori, ubi apertura aderat canalis pro medulla spinali, haec in telam cellulosam abiit laxam. Ex medulla spinali oriebantur utraque in parte V paria nervorum lumbarium quae, fieri ut solet, nervum cruralem dedere, nervos musculis abdominalibus destinatos atque nervos crurum cutaneos, quorum decursus normam servabat. Nervus obturatorius aberat. Nervi lumbares inferiores efformabant una cum nervis sacralibus nervum ischiaticum, cuius decursus atque ramificatio nihil abnorme praebebat.

Nervi sympathici pars inferior inde a Vta vertebra lumbari perspicue plexus fecit nerveos renales cum gangliis, ex quibus nervi una cum arteriis renalibus in renibus desiere. Praeterea simile aliquid plexui hypogastrico in arteriae erat trunco primario, ex quo nervorum rami cum ramulis arteriarum ad intestini decurrebant partem.

Sceleto accuratuis pervestigato, haec inventa sunt: In parte superiore columnae dorsalis paululum antrorsum flexum ossiculum erat 8 lin. longum acutum inferne globosum. Inferne cum duabus partibus osseis parvis ligamenti erat specie coniunctus. III hae partes rursum cum columna dorsali massarum erant ope coniunctae ligamentosarum. His in partibus osseis inveniebantur, quae supererant a vertebra dorsali ultima, quae ex ambabus constabant partibus lateralibus parvoque corpore. Canalis pro medulla dorsali plane erat apertus. Hinc inde insequebantur V vertebrae lumbares normales atque os sacrum ex V vertebris falsis constans, in processibus spinosis non coniunctis, ita ut canalis medullae spinalis hic esset apertus. Os coccygis cartilaginosum adhuc erat, pelvis, ut in plurimis erat formata, os tantum ilium ad latus atque retrorsum erat retractum. Crista ossis ilium erat cartilaginosa. Ossa pubis omnium minime erant efformata, cartilaginosa enim adhuc erant atque in ramo horizontali et descendente nullibi adhuc erant ossei.

Extremitates inferiores ambae valgae, ita ut superficies anterior pene retrorsum esset flexa. Os crurale, tibia atque fibula praeter situm plane normalia. Patella plane adhuc cartilaginosa. Ossa tarsi iam aliquanto ossificata, praesertim

calcar astragalus atque os conoideum. In pede sinistro omnia ossa metatarsi digitique praeter detorsionem plane erant normalia. In pede vero dextro digitus aberat minimus una cum osse metatarsi Vto.

Explicatio Tab. XVII.

a. Tuberculum crinibus obsitum.
b. Funiculus venam umbilicalem ambasque arterias continens.
c. c. c. c. c. c. Tumores in cute sero et gelatina repleti.
d. Pes dexter, quatuor digitis
e. Pes sinister quinque digitis instructus.
f. f. Arteriae ambae umbilicales cum ramis suis.
g. Vena umbilicalis ad introitum in cavum abdominis perscissa.
h. h. Peritonaeum replicatum, arteriae umbilicales ex eo evolutae.
i. Vesica urinaria aperta, in urachum usque ad annulum abdominalem decurrens.
k. Intestini pars apice initium sumens.
l. Diverticulum.
m. m. m. Gyri intestinorum.
n. Intestinum rectum.
o. o. Renes cum ureteribus.

LVI.

S. T. Soemmering.

T. A. d. k. M. pag. 4.

Hoc monstrum in museo anatomico Celeb. Sœmmeringii asservatum, deformem refert massam, soloque ex abdomine et extremis inferioribus constat. Caput, pectus extremitatesque superiores absunt. In parte corporis superiori anteriorique ovatus adest tumor prominens atque conglobatus, in diametrum longitudinalem linearum IX patens, transversalem lin. VI 2/3. Tumor ille pilis obsitus est rubris lin. III — IV longis, eiusdem plane formae, ut neonatorum pili esse solent. Funiculus umbilicalis inseritur in abdomine sesquipoll. ferme sub gibbo caput referente. Duas continet arterias unamque venam tumoremque efficit longitudinalem, antequam abdomen ingreditur. Monstrum feminini est generis; pudendorum labia maiora minoraque, clitoris atque hymen ad naturae nor-

mam exactissime respondent. Extremitates inferiores vehementer et incongrue in genu flexae, fere videntur decussatae, extremitas dextra, inferior magis antrorsum, sinistra retrorsum et minus omnino flexa est. Ambo pedes vere sunt vari, dexter quatuor tantum est digitorum, hallucis triumque digitorum eum insequentium. Sinister perinde IV habet digitos, hallucem, secundum tertium quintumque, quartus desideratur digitus, eiusque in loco intervallum sat latum inter digitum III atque Vtum reperitur.

Sectionis initium in abdomine factum est, cuius cute incisa, massa provenit gelatinosa, quae ex tela cellulosa constitit sero plane impleta. Ex sero albumen praecipitabatur affuso spiritu vini, flocculorum albidorum forma. In abdominis cavo minima intestini aderat pars brevis ad mesenterium affixa; plane singulare autem videbatur, quod partis intestini initium finisque superior in abdominis cavo reperiri non poterat, utrumque in funiculo umbilicali conditum. Funiculus umbilicalis, quum ad longitudinem incisus esset, ubi tumor ille prominebat, intestini initium in adspectum prodiit, appendicis forma apicatae, cuius apex cœcus in funiculo erat umbilicali, quam maxime remotus ab annulo umbilicali. Appendix V lin. longa ibi est finis, inseritur enim leviter flexa in cœco, quod eodem modo in funiculo reperiebatur umbilicali processu vermiformi naturaliter instructum. Hic processus lin. duas dimidiamque erat longus. Cœcum post duas in funiculo umbilicali flexiones paullo post per annulum umbilicalem abdominis intravit cavitatem. Exinde intestinum crassum in abdominis descendit cavitate ante renes nonnullosque formans gyros in anum transiit. Intestini pars pone anum sensim sensimque latior facta, humorem continebat mucosum. Tota intestini pars in longitudinem ferme patebat V linear. Paris.

Renes ambo adsunt ambitus haud exigui, structura lobosa. Vesica urinaria canalis refert formam infundibuliformis, cuius apex in urachum decurrit. Ovaria ambo tres lineas cum dimidia longa angustioraque adsunt, prae renibus posita. Tubae finibus non gaudent fimbriatis, cum ovariis plane coniunctae. Tubae amplissimae inferne inter se coniunguntur uterumque formant. Uterus videtur esse bicornis.

Arteriae venaeque umbilicales post introitum in cavitatem abdominalem in multos statim dividuntur ramos, ramulosque ad organa abdominalia tendentes.

Cor, pulmones, hepar, lien, pancreas, ventriculus tubique intestinalis pars superior plane absunt. Post penitonaeum perspicue reperitur nervi sympathici pars abdominalis cum gangliis suis. Huius rami nervei ad arterias decurrunt. Sceleton et medulla spinalis non investigabantur, ne monstrum destrueretur.

In capitis molimine supra descripto, pars adest longitudinalis ossea. Musculi nondum efformati massam referunt cellulosam, sero impletam.

LVII.

S. T. Soemmering.

T. A. d. k. M. pag. 5.

Monstrum septem pollices septemque lineas longum sexus masculini cum gemello natum est octo mensium. Caput, collum, pectus, extremitatesque superiores plane absunt. In trunco sacculi adsunt sero impleti. Supra funiculum rima adest longitudinalis in integumentis, per quam peritonaeum prominet; in hoc gyri nonnulli adsunt intestinorum, anus non occlusus, penis scrotumque parvum, pedes sunt vari, utroque in pede hallux tantum adest digitusque secundus. In cavitate abdominali duae adsunt intestini partes, quarum prima intestini tenuis pars a mesenterio pendet ambobus in finibus cœca. Pars vero intestini crassi initio angusta mox in latius evadit, in quo processus reperitur vermiformis. Intestinum crassum ante renes decurrens multos efficit gyros. Intestina humore albido mucoso sunt impleta. Renes ambo magni ex lobis constantes sibi invicem sunt propinqui. Testes adsunt duo cum epididymide. Testis sinister ante sinistrum renem est situs, dexter vero iam ad annulum accedit.

Cor, pulmones hepar, lien, pancreas ventriculusque absunt. In funiculo una tantum adest arteria venaque.

Sympathici nervi adsunt rami cum arteriis coniuncti. In medullae spinalis fine supremo bulla adest pyriformis massa cerebrali albida serosaque impleta.

Vid. Tab. XI. fig. 1.

Explicatio.

a. a. Torositas cutis superior dissecta et aperta.

b. Vesica medullae spinalis e canali columnae vertebralis exiens inque cutis torositate sita.

c. c. c. Aliae torositates sero repletae.

d. Cutis externa funiculi umbilicalis seu amnion, cuti adnata.

e. Funiculus umbilicalis.

f. Prima intestini pars.

g. Cœcum cum appendice sua vermiformi.

h. h. Gyri intestinorum crassorum.

i. Intestinum rectum.

k. k. Renes ex peritonaeo elucentes.

l. Vesica urinaria angusta in urachum transiens.

m. Testis dexter mesenterio adhaerens iamque ad annulum usque abdominalem demissus.

n. Testis sinister et ipse mesenterio adhaerens.

p. p. Pedes ambo vari duobus modo digitis instructi.

LVIII.

S. T. Soemmering.

T. A. d. k. M. pag. 6.

Monstrum hocce, cuius protinus subiungam descriptionem, cum tribus simul aliis fœtibus est enatum, semestribus. Omnes hi quatuor fœtus sexus feminini suos habent funiculos e placenta simplici exeuntes. Ovi membranae omnibus sunt communes. Acephalus noster quinque est longus pollices septemque lineas. Truncus superne est occlusus sine ullo cicatricis vestigio. Brachii dextri loco truncus adest decem linearum in quo nulla sentiuntur ossa. Extremitas superior sinistra bene formata est, manus tamen, trium est digitorum, tertio secundoque concretis quartoque absente. Pes dexter tres tantum habet digitos, hallucem, secundum quintumque, sinister vero omnes habet quinque, ex quibus secundus cum tertio, quartus cum quinto concretus est. Genitalia externa feminina bene efformata sunt, ano late aperto. Cavitas thoracis angusta, neque cor continet neque pulmones. In cavitate abdominali tubi intestinorum est pars, intestini tenuis quasi diverticulum tantum adest, quod in crassum transit novem pollices, duasque lineas longum multisque gyris ante renes in anum descendit. In transitu processus adest vermiformis 1 1/2 lineas longus; pars haec intestini liquorem continet mucosum. Renes magni ex lobulis constant. Renes succenturiati absunt. Diaphragma, œsophagus, ventriculus, intestini tenuis maxima pars, hepar, lien atque pancreas absunt. Uterus, tubae latae, ovariaque haud desiderantur. Funiculi vasa in ramos divergunt multos.

LIX.

V. L. Brera.

Societa Ital. delle Scienze. Tomo XVII.
Singol. monst. d'un feto umano etc. 1815.

Mulier nonnullos iamiam infantes feliciter enixa, septimo graviditatis mense monstrum hic describendum, brevi post fœtum masculum bene efformatum peperit. Una cum capite, extremitatibusque superioribus etiam tertia parte regionis thoracicae destitutus erat. In apice huius thoracis deminuti lata massa carnosa affixa erat. Abdomen vero normale, gaudebat pene, scroto, femoribus cruribus pedibus, integumentisque horum naturalibus. Parvo e funiculo per unum diem per impetus magna sanguinis copia erupit. Monstrum vix enatum extremitates inferiores movebat. In regione processus xiphoidei foramen in textu celluloso reperiebatur. Anus non apertus erat. Costae sinistrae partis in massa textus cellulosi latebant. In dorso aliud insuper foramen in textu culluloso apparebat. Pulmones et diaphragma deerant, cavum thoracis textu celluloso repletum erat. Versus sinistram partem parva bursa cystica inveniebatur. Vasis iniectis, aorta reperiebatur ad originem bifurcata, cuius e ramis arteriae intercostales, ut fieri solet, prodibant. Magnam hanc arteriam duae comitabantur venae, quarum sinistra in dextram transiit partem, ubi vena cava adscendens esse solet, vena abdominalis aderat. Visceribus examinatis abdominalibus, ambo renes mirando volumine apparebant, ureteribus instructi, qui in fundo vesicae urinariae desinebant. Arteriae ambae umbilicales in iliacam decurrebant et formabant ita aortam abdominalem e quibus meseraïca inferior et emulgentes prodibant. Hepar, lien, ventriculus, intestina tenuia et intestinorum crassorum pars deerant. Testes in abdomine adhuc erant. Peni adeo crassum praeputium erat, ut glandem omnino tegeret.

Vid. Tab. XVI. fig. 1.

LX.

J. Cloquet.

L. f. a. p. B. pag. 24.

Acephalus femininus inter humeros superque hos cavitatem habuit, ubi nec collum nec caput aderat, sed tantum papilla fossaque parvula pilis nonnullis obsita. Pedes sunt vari. Columnae dorsali vertebrae tantum desunt primae cervicales. Supra diaphragma plexus adest vasculosus atque corpusculum laeve cordis molimen, sed cum vasis non connexum. Globus adest intestinorum occluse incipiens, renes magni, quorum alter una cum utero atque annexis in pelvi positus est. Funiculus umbilicalis 4 continet vasa, quorum primum in arteriam cruralem dextram, secundum in aortam incurrit, tertium venosum in thorace et extremitate

superiori, quartum denique in pectore desinit cum priori per anastomosin coniunctum.

Vid. Icon. Tab. XV. fig. 4. Tab. XIX. fig. 1. et 2.

LXI.

Chevreul.

L. f. a. p. B. pag. 23.

Acephalus natus a. 1813 brachiis erat destitutus, genitalia erant masculina, tuberculum apparebat rubrum in pectore pedesque erant vari, truncus solam efformavit cavitatem sine diaphragmate. Sub sterno vasorum erat plexus, unde rami totum ad pectus divergebant, praeterea nihil aderat. Tubus intestinorum superne trunco occlusus decurrit. Rectum mucum continuit. Pancreas, renes, capsulae renales, ureteres ac vesica aderant. Vena umbilicalis in cavam decurrit. Arteriae umbilicales ex hypogastricis provenere. Tuberculum illud ex osse quodam propendit cavo ad sternum affixo. Decem erant utraque in parte costae, rhachis medullam continebat, unde nervi excurrere. Pes sinister duo tantum habuit ossa metatarsi duosque digitos priores, quorum secundae phalanges duae sub cute latebant.

LXII.

G. Prochaska.

Med. Jahrb. d. K. K. Oesterr. Staat. V. Band. 2. Stück. S. 64.

Mulier rustica 27 annorum anno 1817 tertio gravida, mense septimo facile gemellos est enixa, infans primus puella erat bene formata emortua, quam insecutus est acephalus feminini idem sexus, membranis adhuc suis circumdatus, qui ob corporis mollitiem iam ante partum emortuus esse videbatur. Mater hac ingraviditate nihil perceperat singulare, praeter quod quarto iam mense adeo tumefactum abdomen sensit, ut alias mense nono esse solebat.

Monstri forma externa ex icone clarius apparebit. Pectus nullam habebat cavitatem, omnia erant tela cellulosa impleta. Cavitas abdominalis intestini tenuis longam continuit partem ad mesenterium liberum affixam, ipsum colon in latere

inveniebatur sinistro in rectum excurrens. Aderant renes, vesica urinaria, genitalia feminina interna, sed nec hepar nec lien nec ventriculus reperiebantur, intestinum tenue ex pectoris tumulis externis videbatur sumere, initium, in quibus tamen nulla erat apertura.

Descriptiones acephalorum tum propriae, tum ab aliis cum auctore communicatae, nec antehac evulgatae.

LXIII.

Acephali descriptio ab Ill. Viris de Reuss et de Klein auctori suppeditata.

Mulier 34 annorum die 20 M. Novembris a. 1799 puerum enixa est a vitiis immunem, simul 20 librae aquae profluxere. Erat illi ideo in secunda hac graviditate abdomen maxime extensum, et quamvis sexto tantum gravida esset mense, tamen usque ad scrobiculum cordis mediaque crura pertinebat, unde facile colligere licebat, alterum etiamnum adesse fœtum, cuius pedes lege artis protraxi.

Pes dexter deformis initio valde me perturbavit, pro manu eum habentem; protrahendo mox inveni, infanti caput deesse. Matrem igitur hoc celare studui, posteaque accuratius investigavi.

Secundns hic infans puer erat, cui multa defuere, vitae nullum aderat signum atque placenta illi communis altero erat cum infante, funiculus umbilicalis X erat pollicum. Pondus erat totius monstri unciarum XXVIII drachmarum VI gr. VIII pedibusque extensis longitudinem habebat VIII pollicum VI linearum; caput aberat superque humeros totum desiit corpus. Pectus atque abdomen eiusdem erant latitudinis II pollicum II linearum, ambitus novem erat pollicum VIII linearum, hoc VIII pollicum, quatuor linearum. Humeri III erant pollices lati, in regione processus ensiformis vesicula erat membranacea, aqua impleta umbilico deformi similis; papillae loco mammillaris parvae aderant cavitates, extremitates superiores valde erant deformes, humerus sinister mox in ulnam inque brachium brevissi-

mum transiit, desiitque in manu parva deformi antrorsum curvata, in qua pollex brevissimus indexque longior erant, una sub ungue coniuncti, praetereaque duo digiti concreti, introrsum curvati, quorum unicuique suus erat unguis. Humerus dexter dimidio brevior, cui brachium deerat, desiit in manum deformem tribus cum digitis unguibusque, unoque postrorsum enato deungui. Regio abdominalis una cum funiculo umbilicali membro virili scrotoque testibus carente plane ad naturam erat accommodata. Sic quoque crura crassa, natesque. Pedes invicem erant cruciati, ceterum solitum ad modum. Tarsi vero valde erant deformati in parte interna pedis dextri exostosis erat 9 linearum ungue destituta, sicuti pollex in altum porrectus, digiti III breves inter se erant concreti, at cum unguibus adnatis. In tarso sinistro duo tantum erant digiti deformes, parvis cum unguibus.

Cum de infantis posessione non esset certus, vasa iniicere non potuit, ut instituerat, sed post aliquot tantum dies in spiritu vini servatum illi secare licuit, in ipsoque secando multi eum detinuere res, ita ut non factum sit, uti voluerant.

Tenui sub cute multi erant folliculi sebacei, quos excipiebat tela cellulosa densa 5 lin. crassa ut in sarcomate. Vesicula in regione scrobiculi cordis, sub qua secundus erat processus parvus at membranaceus, cavitasque, quatuor ferme linearum, aqua tantum impleta erat. Cute reclinata, apparebat superne massa ossea quatuor cum processibus cartilaginosis. Has utrinque ad latus exsecabat superne atque inferne sub iisque rudimenta invenit trium vertebrarum colli non perforatarum, in quibus ad dextram scapula deformis erat affixa.

Ambobus in lateribus septem erant cartilagines subnigrae, quae ad costas pertinebant degeneratas, quarum 4 inferiores minores erant atque propiores sibi invicem, quam 3 superiores. Hanc igitur mediam partem pro sterno habuit. Vertebra colli quarta maior erat magis definita, in qua media cavitas rotunda erat duarum ferme linearum, quae medullam continebat dorsalem. Dextra in parte supra et pone hanc vertebram proximeque post scapulam dextram duae erant cavitates crassa illa sub tela cellulosa, in quibus 3 globuli fabae parvae magnitudinem aequantes inveniebantur, quos ille album ob colorem pro medulla habuisset cerebrali, nisi omnibus a partibus fuissent discreti.

Sub osse sternali exciso nulla erat cavitas thoracis nec pulmones nec ipsum cor, nec denique diaphragma, sed tela tantum cellulosa carnosa.

Sub hac saccus erat ovatus verum peritonaeum, in quo multi erant intestinorum gyri. Hepar cum œsophago atque ventriculo, pancreas, omentum ipseque lien aderant, reliqua vero intestina desiere superne, nulla alia cum parte coniuncta, in processu cœco. Ambas ad partes dependebant processus duo vermiformes, quatuor ferme lineas longi.

Gyri intestinorum mesenterii ope sat densi, sed brevissimi inter sese erant coniuncti. Intestina crassa atque tenuia luminis erant aequalis perexigui, membranis fortioribus instructa, quarum interna multas decidit in plicas. Erant oppleta omnino massa albuginea mucosa hic illic sebacea; meconium nusquam aderat. In coniunctione intestini cœci atque coli quae eiusdem erant amplitudinis et magnitudinis, processus vermiformis provenit tenuis non multum contortus; cœco dissecto, valvula illa plane perspicue apparebat, colon ad sinistram perspicue aderat.

S romanum in rectum decurrit inque anum desiit apertum. Renes ad ceteras partes relati erant maiores, ab uno fine ad alterum 1 1/2 poll. duasque lin. lati, ureteres inter peritonaeum oblique descendere in cystidem extra peritonaeum sitam plane normalem. Renes succenturiati minores erant pro magnitudine renum atque molliores, octo lin. longi tres lineas cum dimidia lati. Testis sinister in ipso situs erat annulo abdominali, videbaturque in transitu esse, dexter dextro in latere pone vesicam erat sub annulo abdominali aperto. Cum nullum adesset cor, aortae erat initium sesquipollicare sub maiori illa quarta vertebra dorsali. Longa erat usque ad ramificationem suam 1 poll. undecimque lineas, superne tenuior, inferne multo amplior.

Superne, sinistram ad partem desiit illa in arteriam fortasse subclaviam unde quatuor exoriebantur rami, una axillaris, duae arteriae intercostales, unaque mammaria externa.

Juxta subclaviam exoriebantur inferne duo rami, qui certe arteriae mammariae erant interna. Ex initio aortae superiores proficiscebantur ad partes tres praeterea rami, quorum verisimillime duo erant vertebrales unusque carotidem referebat.

Aorta descendens plures dedit ramos vertebris dorsalibus. Ramus unus tenuis dextrum ad renem succenturiatum decurrebat.

Nonnullas lineas sub hoc, 1 1/2 poll. supra aortae ramificationem ad dextram exoriebantur quatuor arteriae renales quibus opposita erat una sinistra, amplior aliquanto quam dextra, quae in 3 divisa erat ramos.

Praeterea arteria sinistra renis succenturiati inde prodiit. Hanc exceperunt rami nonnulli vertebris lumbaribus destinati, tum aorta in iliacas abiit, quarum ex altera provenit arteria hypogastrica, unde arteriae umbilicales in sacco peritonaei ascendebant.

Juxta et infra aortam, atque dextra in parte cursum suum tenebat vena cava cum ramis suis priori pene aequalem.

Haec sunt quae Ill. Viris de Reuss Augustissimi Wirtembergiae Regis Archiatro et de Klein investigare contigit, quos impeditos fuisse, quin magis etiam inquirerent, valde dolendum est. Vid. Tab. XX.

LXIV.

Cum Ill. de Klein in itineribus suis Virceburgi versaretur, apud beatum professorem de Siebold monstrum acephalum vidit, cuius descriptio nondum publicata erat. Deerant ei organa thoracis abdominisque praeter exiguam intestinorum partem. Renes et vesica aderant renes vero succenturiati nulli. Partes genitales femininae valde erant imperfectae.

Cetera plurimis iam descriptis acephalis simillima erant, quapropter commode omittuntur.

LXV.

Ill. Walter, Aug. Bor. Regi a Consiliis rerum medicinalium intimis supremis, A. 1786 et 1787, quum Londini Cruikshankii et Baillii Vir. Cell. lectiones anatomicas ac physiologicas frequentaret, in museo Guilelmi Hunteri, quod tunc temporis ab illis usitatum, nunc Glasguae servatur, monstrum vidit acephalum, quod omnia cum ceteris acephalis iam descriptis habebat communia, ut in diario Ill. Walteri quod mecum pro singulari sua in me benevolentia communicavit, inveni; nempe cordis, ceterorumque viscerum thoracicorum nec minus extremitatum superiorum defectum.

LXVI.

Auctori contigit monstrum acephalum 24 horis post duas infantes femellas bene efformatas a matre annorum XXVIII antea nonnullos iam pulcherrimos infantes enixa natum dissecare. Non licet autem urbis nomen afferre, neque iconem monstri exhiberi, quoniam magnae parentibus offensioni foret.

Acephalus gemellis cum sororibus una gaudebat placenta. Pondus monstri erat librae unius medic. et unciarum undecim. Cum extremitatibus superioribus, collum magnaque thoracis pars deerant, loco extremitatum inferiorum trunci duo œdematosi aderant, quorum dexter duos, sinister vero tres processus, digitos haud perspicue referentes ostendit. In apice trunci globus crinium bilinearium adparebat. Sesquipollicem a summa parte saccus tumidus cucurbitae lagenariae haud absimilis erat. Genitalia feminina externa valde deformia erant, clitoris nempe portentosae magnitudinis. Anus imperforatus erat. Altitudo monstri ab apice usque ad finem extremitatum novem pollicum Gallicorum. Latitudo abdo-

minis thoracisque in regione sacci supra descripti trium semis. A summa parte usque ad genitalia pollicum trium linearumque octo; integumenta normalia erant.

Sectione instituta, inter quam pater usque adstans ad festinandum me incitavit, me satis superque monstrum perscrutatum dictitans, haec inveni. Thoracis abdominisque una modo cavitas, diaphragmatis nusquam vestigium erat. Superior huius cavitatis pars magnam textus cellulosi partem, inferior intestinorum partem tres pollices longam continebat, quorum initium in umbilico cœcum erat. Intestinis mucus cinereus tenacissimus inerat. Finem intestini in peritonaei duplicatura reperi. Renes ambo aderant longitudinis novem linearum, latitudinis vero quatuor, renum succenturiatorum modo sinister aderat vix minor rene. Ureteres bene formati erant, vesicamque mire oblongam intrabant. Uterus cum ovariis aderat. Saccus, qui in thorace adparebat, cœcus erat seroque repletus. Vasa iniicere mihi non licuit, in umbilico vasa sanguifera tria inveni. Nervos vero nusquam inveni. Ossa pelvis maxime perfecta erant. Sinistro in latere octo, in dextro quinque costas inveni. Columna dorsalis ita in anteriorem thoracis partem curvata erat, ut unci formam repraesentaret sternique teneret locum. Pulmonum, cordis, thymi, pancreatis, mesenterii hepatis lienisque ne vestigium quidem adparebat.

LXVII.

Ill. de Siebold, Aug. Bor. Regi a Consiliis intimis Virceburgi acephalum masculinum, brevi post puellam bene formatam enatum dissecuit, cuius descriptionem, anno, quo Berolinum se contulit eum perdidisse valde dolendum est. Recordatur autem, huius monstri structuram quod coram auditoribus dissecuit, parum aut nihil a similibus recessisse acephalis.

Forma externa icone exacte repraesentatur. Thoracis abdominisque organa omnia abfuere praeter duodeni ieiunique partem, renes, vesicamque. Prope columnam dorsalem decurrere vasa sanguifera. Meconium non affuit, cuius loco mucus tantum reperiebatur coloris cinerei. Nervi in columna decurrere dorsali. Sceleton in museo Sieboldii servatur.

Vid. Iconum Tab. XXI.

Explicatio.

A. Verticis rubra pars quatuor pollicum circuitu.
B. Crines.
C. Saccus colore rubro violaceo.
D. Funiculus umbilicalis.

E. Penis praeputio reiecto.
F. Extremitas inferior tribus digitis instructa.
G. Processus violacei coloris.

LXVIII.

Museum anat. a. J. G. Walter perfectum Tom. I. pag. 121. *No.* 811. *Berol.* 1805.

Contigit mihi permittente ac moderante Ill. Rudolphio Aug. Bor. Regi a Consiliis intimis, eximii Musei Walteriani directore, cui viro pro singulari sua in me collocata benevolentia et humanitate non possum non gratias referre maximas, monstrum dissecare acephalum novem pollices longum et quinque in thoracis regione latum, capite colloque plane carens, cuius suprema in parte massa adest carnea, quae globosa teresque superiores pectoris circumdat partes ambasque decurrit ad extremitates superiores mox describendas. Massa haec ex tela praesertim constat cellulosa conglobata. Integumenta externa non valde mihi videbantur rugosa, unde concludendum est, quum cutis a spiritu vini paucissimas receperit plicas, hanc post partum plane fuisse adstrictam.

Ceterum hic acephalu sin iis quae aderant partibus, deforme haberi non poterat, nam praeter thoracis latera, quae massa erant stipata cellulosa et tarsum aliquanto deformatum, reliqua ad naturae normam exactissime respondebant.

Capitis nusquam aderat vestigium, nec ori ad interna aditum aperienti simile aliquid inveniebatur. Sub integumentis thoracis in latere massa accumulata erat cellulosa cum illa, quam supra descripsimus, summam partem totius monstri circumvallante, cohaerens. Ambas ad partes decurrebant extremitates superiores valde deformatae, integumenta hic erant magis compressa nec brachii praebebant speciem. In extremitate sinistra omnia aderant ossa, quae facili negotio per integumenta sentire potui, quum ob formam monstri servandam dissecare non liceret. Axilla valde erat profunda, ita ut humerum externam ad partem contegeret teres illa massa cellulosa, interneque costis pene iam desinentibus axillae cavitas appareret. Os humeri sinistrum cum ulna radioque articulationem referebat; haec ossa decurrentia cum carpo erant coniuncta ad interna valde flexo. Hunc insequebatur metacarpus digitique, quorum 4 tantum aderant: pollex, medius, annu-

laris auricularisque. Index mihi videbatur deesse. Ungues omnes aderant. Supra metacarpum in dorso manus sub integumentis massa aderat amplior cellulosa.

Extremitas superior dextra altera iam multo erat deformior; aderat tantum ex massa illa cellulosa prominens ulnae cum carpo articulatio atque haec insequuntur, quae infra describam. Os humeri et ulnae radiique maxima pars sub mole illa latebant. Ab articulatione igitur ulnae cum carpo hic sese extrorsum vertere cœpit; tum hic cum metacarpo mutilo coniunctus digitisque plane a corpore avertebatur. Digitorum deformium hic aderant tres; de phalangibus, quae in digitis sinistris perspicue discerni poterant, nihil hic percipi potuit, pollex vero, in interiori manus parte aderat, ungue evidenter instructus. Insequebatur hunc tertius quartusque suis unguibus provisi. Lanugo ut aderat maior adhuc omni in corpore tamen pilos magis referebat sub axillis atque in sterno. Praeterea nec processus nec pars eminens aliqua tota apparebat in cute. Regio abdominalis thoracis regione aliquanto erat angustior cum latere adhuc circumdaret thoracis atque in his desineret massa illa cellulosa. In umbilici regione funiculus non aderat umbilicalis; vestigia tantum apparebant funiculi forsan abscissi nihilque ex his concludere licuit quoad vasorum nervorumque numerum. Cum prius monstrum iam fuisset dissectum, certiora de his invenire mihi non licuit. Vestigium tamen illud funiculi umbilicalis amplius, qualicunque modo investigare conatus sum specillo supra infraque immisso, quo supra ad hepar progredi poteram, infra autem urachus apertus a vesica adscendens cum ceteris vasis inesse videbatur. Extremitates inferiores, praeter quod valgae erant atque cruciatae, plane normam sequebantur; harum etiam in digitis ungues perspicue apparebant. Genitalia feminina labiis instructa externis atque internis; de clitoride nil animadvertebatur, nec urethrae vidi meatum nec sectione indagare potui in monstro ut supra iam dixi amplius non dissecando. Vaginae vidi introitum ad interna accedentem muco caseoso impleta. Cavitas thoracis aderat nulla, cum tota esset impleta massa cellulosa, nec ideo cor aderat, nec vasa nec pulmones, nec reliqua thoracis organa. In cavo abdominis intestinorum exigua tantum pars aderat in peritonaei plica in apertum anum excurrens. In ambobus lateribus renes renesque succenturiatos reperi. Uteri simile aliquid ovarium lateris dextri cum tubis inveniebatur. Decursum vasorum sanguiferorum illustrare mihi non licet, cum monstrum iam semel dissectum fuerit.

LXIX.

Museum anatomicum a J. G. Walter. Tom. I. Berolini 1805. *Tom. I, pag.* 121. *No.* 812.

Ex eodem museo mihi contigit alterum dissecare monstrum, certe plane singulare, quod non solum capite caret sed ipso etiam collo, extremitatibusque superioribus, quamquam per se hoc mirum non foret, tanta ubi absunt organa ad vitam plane necessaria. Incipit igitur totum monstrum a thorace, cui magno in circuitu massa obvoluta est cellulosa cutisque crassa œdematosa. Omnino vero, ut ex intestinorum descriptione mox patebit, omnia organa, quae adsunt, ad sinistram magis accedunt partem, ubi externe etiam pedem altero aliquanto magis evolutum videbimus, cum dextro in latere tela illa cellulosa magis exuberet serpatque, quam in sinistro.

Est vero in medio thorace pars quaedam faucibus non absimilis, liceat enim hac comparatione uti, hic vero partes prostant osseae. Est in utraque parte crista quasi decurrens in cute prominente; apici huius cristae cartilago quasi inest inque profundo ossa sentiuntur. Alteri huius cristae parieti prominentia insidet quasi semicircularis, media discissa, infra vero succedit prominentia conoidea. Altera et dextra quidem in parte eodem ut in priori loco adest crista, altior tantum atque externe scabra, infra hanc cristam ossiculum prominet in profundiora certe productum. In regione normali umbilicus tumidus prominet, ubi inferne intestina adesse videntur. Insunt huic vasa duo duriora, quamvis ex solis constent membranis massaque cellulosa. Extremitatum inferiorum dextra singulari modo est deformis. Ex abdomine nempe prominet funiculus quasi prope abdomen aliquo modo constrictus, decurrens, cruris referens formam; in cuius fine rursum constricto planta insidet. De ossibus vero nihil certi affirmare possum, quum monstrum amplius dissecare non liceret. Illi duo insunt digiti, secundus forsan tertiusque ceterum planta non deformis est. Sinistra vero in parte femur adest cum cute valde œdematosa. Musculi sub hac latent pallidiores; insequitur patella cum tibia fibulaque. Articulatio inter haec ossa ob cutis posterioris constrictionem non plane adest. In cruris fine planta adest, quae os calcaneum aliaque tarsi ossa continere mihi videbantur. Metatarsi etiam adesse videbantur ossa, inque digitis hallux, mediusque reperiebantur. Quoad genitalia, penis cum scroto non perspicue efformatus est. In dissectione thoracis abdominisque, communis cavitas reperiebatur, in qua cordis, pulmonum, thymi, lienis, hepatis, mesenterii pancreatisque vestigia incassum investigabantur. Intestina initium in funiculo cœco capiunt valde iam crassa, sensim sensimque tenuiora fiunt atque in cœcum ab-

eunt, ad quod intestinum crassum perpendiculariter descendit, magnaque pars eius in sacco mesenterii inclusa est; nunc horizontaliter pergunt et quasi in situ perverso colon transversum ostendunt, et in colon descendens transeunt, nunc vero S romanum valde crassum formant, quod iterum descendit et mesenterii ope integumentis adfixum est, eoque modo excurrit. In dextro latere ren, renque succenturiatus aderant, valde vero connata; sinistro in latere ren succenturiatus desiderabatur, S romano in eius loco posito; dextro in latere alter ureter in vesicam decurrens, testiculus et vesica oblongata erat ut in plurimis exemplis. Ossicula in thoracis centro reperta, faciei ossa costis sine ordine incumbentia esse videbantur.

Explicatio Tab. XXII. fig. 1.

A. A. A. Ossium faciei sub cute rudimenta.
B. B. Vesiculae supra et infra haec ossicula sita.
C. Funiculus umbilicalis.
D. Genitalia masculina externa.
E. Cruris dextri analogon.
F. Planta dextra duobus suis digitis instructa.
G. Pes sinister monstrosus etiam duobus digitis instructus.

LXX.

Monstrum hoc tertium apephalum musei Berolinensis, quod idem moderante Illustri Rudolphio dissecui, altero cum infante masculino enatum est, una placenta membranisque utrique communibus. Ab apice usque ad digitos monstrum in longitudinem patet quatuor et dimidii, latitudo thoracis pollices duos et dimidium tenet. Collum extremitatesque superiores desunt, nisi excrescentiam in dextro latere pectoris prominentem, in qua duo puncta ossea apparent, tentamen ad efformandam extremitatem vel potius ad efformandum digitum habueris. Longitudo thoracis totiusque corporis magnopere aucta est, cum monstrum plurimos per annos in spiritu vini suspensum fuerit, et ita cutis in altum tracta sit, ut figura docet. Circiter centro thoracis adhaerebant duae papillae cutaneae laxae, quae inter se communicabant. Pedi dextro erant tres digiti efformati, quorum unus magnus, sinistro quatuor erant. Ceterum habitus minime monstrosus erat. Integumenta communia cum inciderentur, admodum crassa musculosaque inventa sunt. Thoraci, abdominique communis cavitas erat, quae supra costas,

infra pelvim definiebatur. Inter hanc cavitatem integumentaque communia permultum telae cellulosae sero impletae reperiebatur. Organa respirationis, motusque sanguinis frustra quaesita sunt. Renes ambo, glandulae succenturiatae, ureteres et vesica cavitati supra descriptae inerant. Intestina ad superiorem finem renum in paritonaeo coece initium ceperunt; longitudo eorum normalis erat. Intestina crassa a tenuibus vix distingui poterant. Processus vermiformis, in longitudinem patebat trium linearum. Intestina mucum coloris cinerei continebant. Thymus, hepar, splen, pancreas aberant. A funiculo umbilicali ad internam faciem abdominis usque ad funiculum abdominalem vas apparebat prope columnam dorsalem in altum surgens quod ramos renibus misit, ante introitum in duos ramos divisos. Sinistro in latere ab eadem stirpe per integumenta usque ad annulum abdominalem transit, ubi ramus eius sub ligamento Poupartii ad femur decurrit.

Ceterorum vasorum distributionem haud amplius persequi licuit. Testes ambo cum gubernaculo Hunteri in abdomine erant. Ossa non investigavi, ne monstum destruerem. Haec autem ex figura huius facile patebant: In ambobus lateribus quinque verae et tres spuriae costae, thorace ad sinistrum latus detorto, numerari peterant, quae normali modo per columnam dorsalem sternumque admodum adhuc cartilaginosum inter se connexae erant.

Vid. Iconum Tab. XXII. fig. 2.

Explicatio.

A. A. Cutis sursum plurimas in plicas adducta.

B. Excrescentia quae digitum ferme repraesentat.

C. C. Papillae duae cutaneae.

D. D. D. D. Peritonaeum integumentaque communia replicata.

E. E. E. Intestina.

F. Thoracis initium cum columna vertebrali uncinatum in anteriorem partem reclinata.

G. G. G. Costae.

H. Sternum adhuc cartilaginosum.

LXXI.

Descriptio monstri ab Exp. Cohen M. D. mecum communicata.

In museo anatomico academiae chirurgicae Hafniensis monstrum mihi arridebat acephalon, cui cum capite collo extremitatibusque superioribus ipse deerat thorax, cutis huic detracta, altera in phiala bene asservata formam eius praebebat illaesam, in altero vero interna eius partes omnibus cum intestinis musculisque perspicue discerni poterant. Ad ipsam iam quod attinet formam cutis, erat circa abdominis partem superiorem massa quasi luxurians, alte incepit umbilicus abdomen ingredi, propeque hunc eminentia erat cutis nullis tamen ut videbatur internis cum partibus coniuncta; pedes erant vari crassique. Quoad ossa, vertebrae tantum aderant lumbares cum ultima penultimave dorsalium; pedum tamen aderant ossa detorta, ceterum vero plane normalia. Jam vero legens quae a Prof. Schumacher viro Celeberrimo, hoc de monstro erant conscripta, inveni inter alia infra enarranda, partem proiacere cordi quam simillimam. Attonitus hac re, tali in monstro, ipso thorace orbo cor adesse, libidine correptus fui quam maxima, haec accuratius investigandi, quod mihi pro Danorum erga advenas comitate facile permissum est. Accuratius ergo perscrutans abdomen, inveni corpus illud maius in abdominis paene media parte insidens dextrum esse renem. Singulari tamen se praebebat modo, urethra ab externa eius parte ad vesicam urinariam perfecte efformatam descendit, in internam eius partem vasa introiere; in latere sinistro renum inveniebatur alter profunde sub aliis latens integumentis, quorum interna in parte urethra aderat et vasa plane ut videbatur normalia. Intestina erant pauca quoad maximam partem crassa, tenuiorum pauculum etiam aderat initio ad sinistram superioremque abdominis partem inhaerenti ascendens, ipseque anus perforatus. Ad viscera iam transeundo, non licuit penitius investigare, ne monstri forma destrueretur exterior, haec tantum pauca incongruaque inveni. Vasa omnia quae aderant originem petebant ex umbilicalibus, quibus igitur solis adiutus inconcinnam suam hic fœtus degebat vitam. Vidi vasa renalia, plurimosque alios ab intestinis prodeuntes ramos atque ipsos surculos crurales; una tantum aderat vena, quod etiam his fœtibus rarum adeo non est: arteria latissima aderat, praeterea quae pone vesicam arcus modo in crurales transiit, nec vero eius vasa renalia partemque ascendentem detegendi occasio mihi amplius sese praebebat. Tantum mihi certum erat, cor hic nullo modo affuisse, nec agere ullo modo potuisse. Sed de his, sit ut sit, hepatis, lienis, pancreatis glandularumque mesentericarum ullum nec vidi nec percepi vestigium. Nervos quod at-

tinet, in pedibus plane secuti sunt normam; rhachin explorare, in monstro tanti pretii non mihi licuit. Genitalia bene efformata erant virilia.

LXXII.

I. Diehm dulciarii uxor triginta et quod excurrit annos nata, quae prioribus annis nonnullos infantes ediderat sanissimos, uterum se gerere putavit, quum menstrua, quae priori tempore optime responderant, quarta hebdomade non profluerent.

D. 24. M. Martii A. 1808, septima gravidatatis hebdomade, nulla apparente causa sanguinis ex utero profluvium ortum est, magnis quidem cum doloribus, inter quos aliquot horis post ovulum secessit, duos pollices longum, unum cum quadrante latum. Quod ut accuratius examinaret Ill. de Klein, Potentissimo Württembergiae Regi a Consiliis rerum medicinalium, domum recepit, gravioribus autem negotiis occupatus, Vir Ill. impeditus est, quin statim rem aggrederetur.

D. 25. et 26. sanguinis haud multum profluxit, sine molestiis. D. 27. autem, doloribus vehementer recrudescentibus, novum idque haud modicum sanguinis profluvium coortum, alterumque sub vesperam ovulum, pyriforme, priori tertia parte maius expulsum est, quod Ill. de Klein pariter asservari curavit.

Ulterior aegritudinis post abortum decursus, quum nihil memorabile praebuerit, ad propositum nostrum non pertinet.

Alterum quum dissecaretur ovulum, haud exigua sanguinis inter tunicas effusi copia, inque ipso illarum cavo embryo ex parte destructus repertus est, obtusis brachiorum crurumque rudimentis, ventre aperto, ac veluti in caudam exeunte, capite permagno, cum vestigiis utriisque oculi et ore perquam patente, rel. Asservari non potuit.

Quo maiori cum voluptate prius Vir Ill. ovulum dissecuit. Reperit enim, quod valde mirabatur, acephalum septem hebdomadum, qualem antehac nemo observaverat. Curavit itaque protinus eum delineari. Vid. Icon. tab. XXII. fig. 3.

Funiculo umbilicali brevissimo, crasso, eodemque sensim latescente, qui ex vesicula umbilicali incipit haud exigua, embryo suspensus est, quatuor (mensurae Parisiensis) lineas longus, duasque cum dimidia latus, sic ut illius finis totam anteriorem huius faciem occupet.

Dorsum valde arcuatum obtusum in finem, veluti cauda exit, extremitatesque tam superiores quam inferiores, unam ferme lineam longae, in trunco angustiores incipiunt, inque fines latiores rotundatos crassioresque abeunt, quasi cla-

vatae. Superiores longitudine inferiores superare videntur. Truncus autem ad alios embryones collatus maior erat.

Capitis ne vestigium quidem aderat, quum ne microscopica quidem investigatio ullam dilacerationem sed truncum integre rotundatum ostenderet. Dorsi linea protinus super extrema superiora ad abdomen et funiculum umbilicalem descendit.

Comparari potest hic noster acephalus cum tertio Soemmeringii embryone, si caput abesse, et truncum crassiorem conceperis.

Vix commemorandum est, quum caput desit, maximum embryonis pondus in inferiori parte esse.

COROLLARIA.

Enarratis nunc, quae de acephalis extant descriptionibus, nil amplius mihi restat, quam succincte lucidoque modo proponere, quae ex his possint generaliora desumi, ratiocinationes ex his ipsis faciendas relinquimus, quibus talem ad rem aggrediendam mens animusque erit. Quamquam enim humi serpere mea nullo modo sit voluntas, tamen ad res, naturae quasi mysteriis irrevelandis annumerandas meus non enitetur conatus. Cui enim ignota sunt, quanta iam primis a temporibus de his sunt rebus percogitata, quem latet, quantae iam hypotheses, nec enim alio nomine dici merentur, a sagacissimis naturae scrutatoribus sint devictae propositaeque? Omnibus denique patent opiniones sententiaeque illae recentiorum, quae omnes iam refutatae nos tantum de hoc certiores fecere: posse nondum in hoc, quamvis egregio anatomiae ac physiologiae statu, inveniri, quae dubiis certitudinem possint afferre! Sunt quidem nonnulla ex generalioribus illis huc pertinentibus, quae silentio praetermittere nemini licet, qui haec tantum delibare conatur, tamen in his me non experientiae transgressurum esse fines, certe spero. Qua igitur de re iam, benevole lector, ad ea transgrediar, quae experientia duce inventa sunt naturaeque sequamur vestigia, incerta solum iis, suam qui mentem ducem illi superimponere conantur. Antequam vero organorum *statum* in singulis his monstris inventum enumerabo, pauca prius de corde mihi sunt dicenda, cuius defectus his in foetubus maximi, praeque aliis vitiis gravissimi

certe est momenti. Abest enim cor in his omnibus, quae descripsi monstris, in singulis a me ipso dissectis, nec adeo dilatatio adest vasorum eius loco, hac aliave in regione, animalibus similis infimis vel illis sub aqua aliquod tempus degentibus, ita ut ab illo veluti aneurysmate vim possimus deducere, vitae animali organicae necessariam, atque ob vitam a connexu cum matre dependentem eo magis desiderandam. Sed de sanguinis circulatione in harum observationum fine, simulque de corde nonnullisque aliis coniecturis, pauca adiungam qualiacunque, quibus utinam res efficiatur pro voluntate. Hic tantum dicam, nisum formativum, si voce magis sonoque nobis valere debet, nec tantum pro occultis nomine quodam appellandis, ab usu retentus, nullo certe modo sufficere fœtus evolutioni sine corde explicandae; tam certa enim nisus formativi via per cor quasi strata est, reliqua ad efformanda organa, ut alium tramitem quo modo possimus invenire, nondum videamus. Vires hic agunt plures, ut tali modo a normali possit decedere acephalus via. Silentio etiam hic praetereunda non est illa opinio, quae fieri censet haec monstra ex hydrocephalis aetatis tenerrimae in ipso utero ruptis, quae opinio non de acraniis solum, sed ipsis de aneucephalis proprieque acephala dictis illis est evicta. A pluribus iam viris celeberrimis, inter alios a Gall et Spurzheim (vid. acephale in Dict. des sciences medicales) haec sunt refutata. Ad me quod attinet, omnia alia, quae hanc contra sententiam possunt adduci praetereundo, extremitatum superiorum deficientium thoracisque absentis rationem habent, opinor, sufficientia esse hanc in hypothesin argumenta. Conferatur praecipue memorabilis illa acephali septem hebdomadum observatio, quam ab Ill. Klein benevole mecum communicatam, in descriptionum serie No. LXXII. retuli. Hoc certe monstrum, quamvis capite perspicue careat, nullam tamen rupturam ostendit. Quorsum enim ab hydrocephalo dirupto extremitates etiam superiores collumque in ruinam trahentur, quo sodes modo caput ab interno suo vitio ex orgamismo sublatum thoracem etiam eiusque omnes partes destructioni tradet? Quid tandem ad internas abdominis partes haec mechanica paene destructio pertinebit, at illic certum ad modum quae-

dam sint deformatae partes aliaeque absint? Sat mihi hoc loco de his sit dictum, monendo tantum, deficienti cordi circulantis sanguinis sedi quasi primaeque causae me omnia illa ascribere vitia deformitatesque, quae nostris inveniuntur in acephalis; organo huic iam infimis in animalibus inveniendo suspicandove vitia opinor defectusque ut internos ita externos his in monstris esse ascribendos. Est vero tantus organorum internorum in externa effectus, atque tam certos corpus inde assecutum esse fines videtur, ut ex monstri totius forma externa intelligere paene possimus, quaenam illi nobiliorum quae dicuntur desint organorum, atque e contrario organis internis quibusdam deficientibus, externe etiam insequantur defectus vitiaque normam iam quasi certosque modos formantia. Haec certe impensiori percogitatione digna argumenta ex naturae hausta fontibus hoc facile probant; secundum organi alicuius non solum praesentiam sed etiam evolutionis statum alia omnia eodem in animali organa nos videre confecta; cum igitur corde praesertim carentibus tanta perennia videamus vitia, nonne concludere licebit, ex his illa promanare atque provenire?

Corde enim ut repetam, deficiente, non vero capite solo absente, aliorum semper invenitur organorum constans defectus deformitasque perennis, qua de re rationcinationis certae ope haec coniungere nobis licet. In monstris his nostris nec cordis vestigia sunt reperta praeter in isto Katzkyi, Valsnieri atque Gilbertii, quorum descriptiones forsan haud ita accurate sunt perscriptae, ut, hae quae certe normae tantum exceptiones dici merentur, veritatem omnium aliarum optimarum investigationum possint pervertere, inter quas multae sunt viris maximis omni cum diligentia sagacissimoque modo institutae. Perpendatur praeterea, Katzkyi imaginem fœtum praebere acephalum corpore sat venusto praeditum, qualem his in terris non videre licuit; patet igitur, uti spero, omnibus etiam sine argumentis infra subiungendis, has exceptiones, cor ubi inventum dicitur, plane nil ad rem facere et aliud quippiam fuisse.

Omnibus in acephalis extremitates invenimus valde deformes manus pedesque emissaria quasi, maiores foetus evolutionis vires hic iam indicant deficientes,

inter quas extremitates praesertim superiores non solum deformes artubus singulis privatae, sed etiam saepius omnino absunt, nullaque plane nec ipsa sub cute involuta sui reliquere vestigia, quae etiam in animalibus magis imperfectis hoc illove modo hac illave sub forma tamen invenire solemus. Sunt his magis constantes extremitates inferiores, minus deformes atque ipsae si deficere videntur sub cute saltem latent; in digitorum tantum numero formaque articulationisque in toto pede directione a normali decedendo. Sunt vero pedes his monstris plerisque nisi omnibus dicere licet, vari valgive, sunt illis digiti concreti quorum plures saepius desiderantur. Ut vero hominibus acephalis hae corporis partes deformes vel plane nullae, sic etiam aliis animalibus acephalis extremitates praesertim anteriores plane deesse legimus atque in descriptionibus saltem nobis enumeratis ita ut in illis in hac serie non enumeratis rem ita esse exhibuimus. Ovis acephala viro celeb. Antoine perquisita in qua cauda saltem, desiderabatur cuius nulla quod certe rarum, erat relicta vertebra. Una cum harum vitiis collum iam simul abesse solet: vertebrae colli in rerum natura ita necessariae, ut earum numerus vix semel a norma aberret, hae plane hic absunt: quid? quod plurima horum monstrorum in thoracis regione suprema iam desinant, dorsaliumque vertebrarum plures natura proferre non valuerit. Uno tantum adhuc gressu recedit natura omnia tunc his inferiora molae concretionumque nomine efficiendo. Ipse enim thorax omnibus suis cum organis vitae animali certe fœtui perfectiori omnium genere annumerato, omnimodo necessarius. Plane his caret monstrum nostrum mirum fœdumque naturae opus. (vid. No. XXX. pag. 30.)

Profitentur certe hanc sententiam Goeller, Heuermann, le Cat, Curtius, Odhelius, Prochaska (vid. No. LII. et LIV. pag. 59—61. et tab. XVIII.) idemque quod descripsi exemplar (vid. pag. 78. No. 69. et tab. XX. fig. 1.) ubi capitis vestigia corde deficiente praeberi dicuntur, demonstrare videtur, sed hae massae ita mutatae atque abnormes sunt, ut nisi pro capitis vestigiis eas habere velis, nullum nobis certam definitamque praeberent formam.

His omnibus pertractatis, nemo certe negabit, extremitates inferiores una

cum pelvi, quamvis hae etiam aberrant, tamen omnimodo partes esse omnium maxime efformatas. Sunt, ubi externe visum effugiunt, in sectione tamen apparebunt ut in celeberr. Sieboldii Charkiique (vid. in description. serie pag. 39. No. 36. pag. 74. No. 64., in iconum serie vero. tab. IX. atque XXI.) monstris evictum est. Quanam de re haec prae aliis sint efformata, his nunc dicendis locus non est, infra fortasse ex aliis tunc tractandis, haec etiam in lucidum magis evehentur. Est vero harum partium evolutio perfectior, massaeque earum maius pondus, crassitiesque caussa phaenomeno illi perenni, monstra talia pedibus provenire praeviis. Opinione enim illa derelicta, foetum paullulum prae partu circa axem suam verti, (culbute) in capitis pondere praevalente, causam invenere recentiores partus illius normalis, his igitur factis, sit nobis etiam hic ius liceatque ex iisdem causis eadem normam esse concludere atque pro lege habere rarius certe immutata.

Acephalorum frequentiam vero si compares inter animalia duobus pollicibus adducendis praedita, aliaque facile invenies monstra haec una cum acraniis saepius multo in homine quam in aliis occurrere animalibus, atque in ipsis his capite cranioque destituto multo esse rariora, quam deformitates alius generis monstrositatesque. Hoc unum tantum his addendum puto, quod in praefatione iam indicavi, esse nempe in efferendo comparandoque monstrorum numero, quoad deficientium atque ad contrarium aberrantium, climatum rationem habendam videndumque in singulis animalium speciebus, multipara anne sint vel unam tantum gignant prolem. Accedit ad hanc raritatem acephalorum in reliquis animalibus eo magis efferendam res certe non contemnenda: inter bestias enim, quae nascuntur acephala, vel ut res singularis salutata, vel diro pro omine habita certe silentio non praetermittuntur, facilioriique modo in anatomorum incidant manus quam hominum monstra, ubi multa maxima attentione digna varias ob rationes a parentibus propinquisque occultantur neminique innotescunt. Hinc rei optime respondet eidemque causae viribus nempe naturae deficientibns quamvis contraria initio probare videtur, observatio illa, rarissime solo acephalo gra-

vidam fuisse mulierem. Sunt enim hic praeter gemellorum numerum, qui paene norma hic esse videtur, ipsi trini quaternique adeo percepti fœtus. Videre hoc licet plurimis in horum fœtuum descriptionibus, praeter quas multae certe sunt ubi hoc negligenter omissum; nec mentio de re facta est ad physiologiam huius status certe graviori. Infans perfecte beneque efformatus saepissime monstro prius provenit, quod ex eadem causa supra memorata fit, nempe ex praeponderante infantis sani volumine atque ex maiori vi, quam fundi contractiones, dolores omnino dictae in hunc possunt exercere. Apud Kundmannum mane puer provenit, medio die monstrum est enixa, mater, quod vespertino tempore puellula sana perfecteque evoluta insequebatur. Sexus praeterea solent esse sequioris infantes una cum monstro prognatae. Placenta demum in his monstris propria rarius reperitur; inter has enim quas ipse enumeravi descriptiones, tres tantum sunt hac gaudentes. Reliqua etiam quae in descriptionum serie omisi monstra acephala, placenta caruisse propria, suo fundamento constat, iuvatque lectorem benev. commonefecisse, semper, si de externo monstrorum adspectu sermo est, reliquorum etiam summam me subintelligere. Nititur his omnibus uti gravibus in argumentis ratio supra iam annutata, fœtum talem nec ab initio omnibus fuisse a partibus immunem, sed tantum superfluum quasi ramum humorum, ut ita dicam, luxuriatione prognatum; vires desunt maiori in multitudine quam ut solita, licet deformi, hic possit progredi via corporis humani evolutio; caput abest atque cor prima totius principia systematis animalis, intestina artusque qui adsunt a nisu formativo humano sunt effecti a naturae ut ita dicam conatu simile sui genus procreandi. Paullulum iam tantum recedat evolutio malaque fiat necesse est, ubi inde ab initio fœtus aderat immunis, cui efformando mox deficiebant vires atque involutum in massa cruenta carnosa tendinosaque fœtum videmus, gracillimis omnibus suis cum artubus atque partium suarum relatione iusta; massa vero illa carnosa ex se paene parasitarum modo luxurians, suis ex vasis se pedetentim efformando pauculos fœtus destinatos absorbet humores, vel etiam mola erit spuria, ubi, sitne, ut nonnulli malunt mox post coitum factum ovulum plane per-

fectum in uterum provenisse, vel alii ut censent, illis quidem pauciores, nullam huic coitum praebuisse causam, tamen nusquam nos fœtus videmus vestigia, massaque haec organica paene pedunculi modo polyporum uteri fundo succulento insidet magnitudinem saepe nacta incredibilem; tali igitur opinor modo in utero se insequi efformationis gradus; incipit a fœtu perfecto dignioris sexus, vel quod hinc certe iam cedit, sequioris, pede presso sequuntur monstra, quorum infimi gradus ut acephala vel athoraca latiori aliquanto iam ab his distant spatio; insequuntur molarum variae species, ubi veram tantum et spuriam exhibeamus, hanc iam multo illi inferiorem, tantam claudunt seriem funemque sequuntur polypi, excrescentiae, aliaque talia vix organismo animali annumeranda. Hunc si in contemplandis monstris nostris conservarimus aspectum nec, caput desiderando nec cor, disrupta illa non dicemus resorptaque, nec alio incredibili modo haec, licet sint singularia, studebimus explicare. Sunt igitur inde ab initio vires matris pro corde capiteque gignendis debiliores, iis humoribus plasticis qui adfuere, á nisu illo formativo languidiore in hanc formam redactis.

Hinc intelligi potest exiguus acephalorum numerus in animalibus ad multos gignendos fœtus accommodatis, hinc acephalorum rarior in regionibus australibus occursus, hinc alia illa quae supra delibare mihi licuit. Plurimos vero cum monstro simul prognatos fœtus perfecte evolutos sexus fuisse sequioris observationi correspondet sat notae minores ad fœmininum, fœtum efformandam parentum necessarias esse vires tardioremque nisum formativum hinc Aristotelis opinio virilem gigni fœtum τοῦ ἄνδρος ἐπικράτοντος. Infantem ceterum bene efformatum prius provenire, faciliori modo ex capitis eiusdem pondere praevalente et ipsa meliori efformatione explicatur, atque ex maiori quam uteri contractiones, dolores qui dicuntur in talem prae monstro mutilato, possunt exercere fœtum perfectum relatione partium suarum justa gaudentem. Placentam denique et velamenta non adesse propria, maximi certe esse momenti unusquisque confitebitur, cui cognitum est, quam certi fines normaeque hac in re a natura sint constitutae, sic ut maxime memorabile videntur exempla illa, quibus acephali propria gavisi sunt pla-

centa. Utcunque autem sit, certe contendi potest, illum tantummodo propriam habere placentam fœtum, cui in corde sita est vis placentae suae vitam motumque impertiendi; hoc vero cum acephali careant, placentam etiam sibi propriam vindicare nequeunt, atque ab aliis necesse est, ut sumant, quod sibi efficere haud valent, placenta enim, ex qua sanguinem sibi hauriebant, a fœtu perfecto vitam motumque contraxit. In acraniis enim, si cum infante gemello nascuntur, saepius placentam propriam aut vere divisam certeque velamenta propria invenimus; cor saliensve punctum iam apparuerat placentam propriam sibi vindicanti. Cum omnia, quae in rerum natura perenni sese exhibent modo, legem illic indicant adesse stabilem quasi atque intimis huius rei principiis nixam praetereundum hic non erit phaenomenon, cui quidem nullus adhuc gravior connexus definitus est. Est nempe in pectore praesertim, vel multo rarius in dorso acephalorum vesicula aquea una usque ad tres, at stabile est symptoma, ideoque certe notandum certa enim organa sunt in evolutione sua retenta.

Multo facilius explicatu est, quod aeque constanti modo in acephalis invenitur, omnium nempe horum fœtuum sub cute non adipis solum quod fieri solet, sed oedematosae magna reperiebatur cellulosae massa, pollices saepe nonullos aequans seroque impleta; serum vero, adeps, ipsaque adeo cellulosa debilioris iam energiae virium sunt indicia. Ex materia hac rudi deposita deficientia conformanda fuissent organa; natura autem, iam sategit gignendo illum, quae alibi serum repraesentat, sine ullis musculorum vestigiis, alibi ad naturam telae cellulosae evecta est alibi ad musculi indolem ascendisse videtur. In nonnullis serum effluxit, unde superficies rugosa apparet. Conf. Tab. XIII. fig. 1. et Tab. XVIII. Est infanti, est fœminae adipis maior copia, hinc illa venusta qnam dicimus forma, nullibi rectis lineis, nullibi angulis visis adipe omnia massaque cellulosa implentibus; sic etiam scorbuti incipientis signum erit prae aliis certum, formarum certos evanescere fines, genuaque ac reliquas partes infantilium artuum accipere aspectus. De sero oedemateque, quod nuncupari solet, ne verbum quidem, quippe quae medicaminibus roborantibus praecaveri, certissimeque

pelli solent. Transitum haec sternunt a carnosa sarcomotosaque massa ad organorum texturam humanasque formas.

Jam vero de re dicendum, quae perspicuo modo statum illum indicat, ubi, liceat mihi hoc effari, nisus formativus vel alia hac pro lege voce utaris, deficientibus matris viribus languidius tardiusque agere studet. Est nempe sceleton corporis humani fulcrum illud partium molliorum, quod in perfectiori animalium gradu ad interiora retrogressum physiologis aeque ac pathologis terreum sese non esse concrementum comprobavit. Cui enim pathologo ignotum erit, quanta in hoc systemate sint hereditaria, quem effugit quantum periculi saepe vel minima eorum laesio ciere possit, quem physiologum latet, quam certa forma haec iam in ipsis inferioribus gaudeant animalibus, perpendas conchylia solum crustaceaque, cui demum anatomiae dedito ignotum erit, quanta certitudine inde a fœtus aetate tenerrima usque ad cartilaginum ossificandarum indurationem sceleti progrediatur evolutio. In his igitur monstris menses decem suos emensis ossa videbantur, qualia in fœtu praematuro VII — VIII mensium esse solent, in aliis autem partu praematuro editis eadem ratione imperfecta sunt.

Ultima denique de sexu atque de genitalibus nobis occurrit observatio; sunt enim quod constat, plurima haec monstra sexus sequioris, sunt humanorum monstrorum paucissima quibus nulla concessa erant sexus signa, ut apud Clarke pag. 39. tab. IX. Bracg. pag, 17. Büttner pag. 20. Monstra hermaphodita dubia sunt ut Katzkyi illud, quod pluribus descripsi locis monstrosa autem genitalia multa inveniuntur. Vid. iconum Tab. XII. Fœminae quoque monstra acephala enixae fœcundissimae fuerunt, tum numero infantum prius editorum, tum qui una cum illis prodiere. Plurimae eorum prius sex vel decem vel plures etiam ediderant, tres tantum primiparae erant. Nihil his amplius addendum puto, quam haec, omnia mihi illas rationes comprobare videri, quae in primo huius monstri aspectu oculis se obtulere. In animalium acephalis plurima erant, quae omnibus genitalium adeo vestigiis carebant. Haec sunt igitur illa, quae in externa acephalorum forma visa perceptaque mihi fuerunt tradenda, antequam ad

interiora transirem quae recte si pertractata fuerint, gravissimo in illis intellecto connexu, forsan olim novam afferent physiologiae lucem, atque ut teleologice loquar, monstrorum horum etiam in natura praebebunt utilitatem, nempe ut ex illis perfectior evadat nostra scientia atque ex unius fœtus structura deformata spes erit, fore ut plurima meliora proferantur. Mihi tantum curae erit, experientiam ne relinquam ducem, atque ne ex illis ex parte tantum inspectis hypotheses afferam mox rursus destruendas. Inter signa vero externa sceleti forma mihi ducenda videbatur ob speciem certam, quam ossium systema toto tribuit corpori, de singulis vero ossibus accuratius mox mihi erit pertractandum, ubi de internis dicam organis. Pertractatis iam qualicunque modo illis, quae mihi de externa horum monstrorum forma observata sunt, nunc ad magis arduum opus erit transeundum, ad ea nempe quae cultelli ope de internis innotuerunt partibus, ubi maxime dolendum est, cum possessorum haud facilem voluntatem accuratas investigationes valde prohibuisse, tum auctorum negligentiam, res, quae exactius cognosci potuissent, densis obvelasse tenebris. Omnes vero certe in hoc consentient, esse haec quae dicuntur intestina ad explicanda quodammodo phaenomena in acephalis percepta ut gravissima ita paene unica. Hic prae ceteris laudari merentur vitae signa. Minime autem de ipsa intima huius fœtus vita vel idem quod foret de causa eiusdem primaria meas proponam opiniones non ego

„ceratis ope Daedalea nitar pennis“,

hic tantum mihi liceat illud quod vitam animalem ut generale quippiam nuncupamus, liceat mihi inquam de his nunc proferre, quae sensibus sunt percepta. Maximae hoc esse gravitatis, nec de his hucusque sat esse tractatum, certe nemini negabitur, qui cor una cum capitis ipsiusve thoracis absentia verisimilem efficere hypothesin, hic ne ullam quidem animatam adesse posse vitam, secum reputaverit. Externe igitur in fœtu enato nulla vitae sunt signa percepta, praeter Katzkyi exemplar, in quo solo inter acephalos humanos talia sunt visa, sed vera ut dicam, utque supra iam annutavi, huius viri quem ceterum honoris causa nomino, descriptiones ab omni suspicione non mihi videntur immunes, narrat pag.

10. in descriptionum serie „monstrum illud post partum vivum fuisse, instanter „contestatur obstetrix, utpote quae illud diuturnis motibus agitatum conspexit.“ Praeterea Vogli vid. pag. 10. narrat: „paululum mota, ut referunt,“ Malacarniique agnus acephalus vitae exhibuisse signa dicitur. Haec vero sic tantum intelligenda mihi videntur, ut musculorum leves motus vel oscillationes sint observatae, quae monstris eiusmodi abnegandae non sunt. Ill. de Klein certe, quum duabus adsisteret mulieribus, alteri hebdomade decima quarta, alteri sexta abortum facientibus, illo in infanti musculos vix non omnes per viginti horae minutas, in hoc autem per decem moveri observavit. Inter omnes igitur acephalos humanos, nullus vita fruebatur, praeter illos enim, ad unum omnes caruerunt, nulli non extremitates distortae, praeter Katzkyi exemplar, cui haec omnia, vita, cor, extremitatesque venustae a natura benevolente prae aliis concessa erant. Antequam vero fusius de his quid opiner dicam, percogitemus, quaenam hic adesse possint signa, vitam animalem docentia. Constat vero inter recentiores, solum vitae animalis signum certum, arbitrarium esse motum, cetera in finibus vitae animalis vegetabilisque quasi confunduntur, hoc igitur etiam hac in investigatione vitae acephalis signum ducere nos debet. Sunt vero primum, motus illi fœtus in utero, qui in his a matre vel ipso a medico obstetricio observati, vitam his affuisse denotant; at quam incerte hos ipsos mater senserit, omnibus patet, matribus enim primiparis hae motiones plane incognitae sunt atque multi certe hic oriuntur errores, sed notissimum est, ipsis iis quae pluries iam sunt enixae, intestinorum motus peristalticos flatibus praesertim impletorum, multaque alia tales mentiri posse motus; sunt praeterea acephalorum plurimi gemelli, ubi discernendi, quis moveatur fœtus nemini certe potestas; insuper aliquoties observatum est, matres iam pluries enixas hora ante partum sensu fœtus sese moventis deceptas fuisse, cuius postquam in lucem editus erat, certissima putredinis signa iam pridem eum mortuum fuisse clarissime indicarunt. Reliqua autem fœtus ipso in utero viventis signa partim his in monstris adesse nequeunt, partim de motu fœtus voluntario, qui solus vitam animalem continuare potest, nil probare videntur; sic tumor capitis hic nullus, funiculi pulsatio nil de

vita animali prae se fert, in ipsa enim massa sarcomatosa pulsant arteriae micantque venae, atque vitam organicam vegetabilem nemo negabit. Restant motus convulsivi et convulsiones foetus, nonnunquam ante partum adeo periculosae ut artem in partu ceterum normali modo finiendo exigant, sed primum hae foetuum convulsiones praesertim ita effici dicuntur, ut capite in altero uteri pariete obnitente contrariam uteri faciem pedes calcent, quod iam nostro in monstro capite absente difficilius, vel forsan nullo modo fieri posse, non omni sine verisimilitudine concludendum est, vel etiam convulsiones, si his in monstris affuerunt, nonne a galvanico electricoque quasi irritamento fieri potuerint? Quod fortasse in re minus viva magis mechanice agit; sed sit ut sit, hoc saltem probasse mihi videor, nulla paene in monstris capite cordeque orbis vitae animalis percipi posse signa, quod quidem tam universe valet, ut inde concludere possimus, nullo modo tali acephalo enato posse protrahi. Sunt enim, quod notissimum est, foetuum omnium in utero vita magis vegetabilis organica, sed praeparata sunt, quae foetui prodeunti vitam animalem possunt tribuere, atque tueri; hunc igitur transitum in iis fieri non posse, ex illis omnibus patebit, quae de vita animali in utero quasi praeparata his neganda, supra enarravi. Addas, quod signa foetus animalium modo viventis e matre petita valde sunt dubia: sic enim in graviditate extrauterina nobis probare dicuntur gravitas a matre in abdomine percepta mammarumque antea lacte tumentium collapsus, transitum adesse vitae animalis in vegetabilem eandemque ipsam brevi cessaturam, indurari enim potest atque lithoqaedion fieri; quam incerta vero haec sint, nullum effugiet medicum artis obstetriciae peritum.

Corde vero his monstris denegato, in quo lectores benevolos mecum consentire spero, lucem afferent haec naturae quasi conamina dicenda alicuidam rei a physiologis nondum in liquidum redactae. Primis enim iam e temporibus dissentiebant plurimi, sanguinis circulatio a sola cordis vi efficiatur, an arteriarum ipsarum nisus hic suos conferant partes. Tantae gravitatis res plurimos excitavit, ut undique conquirerent, quae suam descenderent in opinionem, sed vera ut

fateamur, opinamur pro nostra qualicunque hac in re cognitione, his omnibus illis ratiocinationibus nulla indubia potuisse protrahi. Primum enim musculi vires calculi ope designare incertosque redigere fines nequimus; hoc patet et in musculis voluntati subiectis et in illis, qui huic non parentes ab alia instigantur causa motrice; nec hic vectis nec alia huc pertinentia certiora hac in re argumenta offerre possunt, qui minus de cordis viribus simus incerti. Cetera huc adducta uti angulus arteriarum minor ex maioribus exorientium, comparatio luminis aortae omniumque eius ramorum futuris forsan investigationibus viam sternunt, certiora nunc saltem nec ipsis praebebunt credulis. Nec silentio praetereundum, quod nuper detectum magnam apud nostrates famam conquisiverat, multum enim ceteris gentibus vel ignotum adhuc vel iam oblivione deletum, arterias nempe censuerunt multi ipsique praeclari viri nulla frui nec systole nec diastole; sed vibrare tantum, inde a motu a corde illis compertito; sed, sit hoc ut sit, dubiis adeo omnibus hac e re sublatis, quorum certe non pauca restant, nondum ad tantum certitudinis pervenit fastigium, ut non pretii sit dignum, phaenomenon ostendere contrarium, cum hoc argumentum ex mera rei observatione haustum multis nitatur rebus, nec etiam, omnem si excluderet dubitationem arteriarum vibratio, non plane pateret, quanam solas haec causas agnoscat motrices a corde tantum, anne resonet, vel ex sese etiam effectus prodeat simultaneus atque correspondens. Cur tandem his in monstris abest, atque tamen aliquomodo functiones suas excercent arteriae venaeque in sanguine per fœtum perque funiculum ipsamque placentam circumducendo. Nonne igitur aliquam sibi hac ex re conquirit verisimilitudinem illa opinio, ipsis inesse arteriis vim motricem perque sese suasque proprias vires moveri, quamvis forsan ad partem tantum fiat? Fibras in arteriis musculares nemo negabit, multo magis perspicuas quam illae in utero, cuius tamen vires contractivas nemo non confitebitur. Addas ut arteriae inexhausta agant vi, quod omnibus musculis voluntati haud parentibus commune benevola dedit rerum natura. Certiora tali in re praebere nec quidem spero, sed attulisse, ex quo forsitan suspicari physiologis liceat, mea est

voluntas. Magnum enim hoc certe erit physiologis, hic ex obscuris emergere, atque compluribus praeterea acephalis accuratissime dissectis nilque cordis simili in illis invento, non video, cur haec res maioris non possit esse momenti, his diebus discernenda. Nec hic praetereunda res, forsan gravior, me nusquam invenisse arterias ipsius fœtus sese convulsivo modo moventes micasse, sitne hoc micare in systoles diastolesque vicibus positum, vel tantum vibratio, ad rem certe haec observatio pertinet, nec tamen per se dubia pellit. Nullo denique modo negabo, circulationem sanguinis his in monstris multo magis esse inertem, pro causa motrice deficiente; magis inertem dico, atque ideo simul in organis efformandis, quibus sanguinis concedenda est potestas, multo debiliorem; hinc illa organa desiderata, hinc illa evolutio imperfecta vel minor luxurians, atque organorum deformatio. Adduxi, quae hic observata sunt, sed certe non meum est, tantas dirimere lites.

Corde absente, cerebrum vel plane desideratur, vel paucissima tantum eius valdeque imperfecta reperiuntur vestigia. Ausim hoc etiam cordi deficienti eiusque vasis ascribere, contrarium certe a naturae legibus non esse stabilitum, ex acraniis patet, quae cerebro absente, tamen cor non dereliquit eiusque vasa primaria; á cerebri igitur vitio constat, cor non affici, contrarium huic vero in perennibus illis acephalorum observatis iam comprobatum esse, ratiocinari ausim. Certiora hac de re fortasse ex illo transitu acephalorum in foetus perfectiores sunt petenda, sed talia nimis ardua viris sagacioribus decidenda relinquo. Vitae mobilis primum principium, punctum saliens, vitae etiam prima paeneque unica conditio esse videtur. Iisdem fere, quibus cerebrum vitiis medulla etiam dorsalis subiecta est, pluribus nulla, aliis brevissima, viro Ill. Kleinio duobus ossibus apud le Cat uno osse interrupta reperta, omnium denique acephalorum duo tantum perfecta fruebantur. Omnia tamen pervolventi facile concedetur, multo tamen magis hanc cerebro esse evolutam, quod etiam ex partibus huius imperio maiori evolutioni subiectis concludere licuit, cuiusque semper parietinae saltem aliquae eminent. Locus hic fuisset, pauca de gangliorum his in monstris relatione ad cerebrum eiusque nervos

referre, nisi perfinitis, quae sensuum ope in acephalis observare licet, animus mihi foret, de sanguinis circulatione, ita hac etiam de re pauca qualibuscunque meis subiungere pro viribus; hoc saltem hic dictum esto, ganglia superiora ista cervicalia hic abesse, ut per se patet, atque hinc intelligitur, originem illam nervi sympathici qui dicitur, ex paris quinti abducentisque ramis non hoc nomine dignum esse, sed magis coniunctionem esse dicendam; ganglia in thoracis cavo recondita non solum in athoraceis quos dico, sed ipsis in illis plerisque plane abesse, qui thorace muneribus suis organisque vacuo gaudent, quibusque simul extremitatum superiorum colliique insuper nonnullae concessae sunt vertebrae. Antithesis systematis gangliosi cerebralisque deducta ab animalium minus evolutorum gangliis maioribus, primo ganglio eoque cerebro dicto, minore plerumque quam secundum infra fauces situm, cerebroque sensim usque ad hominem magis magisque imperium sibi arripiente, ganglia recedunt, reproductioni solum, quam nuncupamus, vegetationi maxime propinquae destinata; haec demum relatio ipsis in acephalis aliquo modo eminet, etenim quae inveniuntur ganglia magnitudine pollent, insignique percipiuntur modo. Nervi tamen ipsi medullares plerisque plane evoluti videbantur, quod maxime prae aliisque invenire licet in pelvi extremitatibusque inferioribus, quod facillimum est explicatu e medullae dorsalis parte inferiori ceteris perfectiori; patet enim praesertim ex causis paralyseos extremitatum inferiorum urinae alvique incontinentia, quam arcte horum organorum vires a medulla, praesertim infima dependeant. Illis vero de cerebro, medulla eiusque emissariis, deque gangliis prolatis, constare opinor, nullius organi in corpore foetus imperium aeque vigere, ac cordis, quo labante reliquas partes tantum praebent magis minusve evolutas. Sunt denique tantum Odhelius, Büttnerus, paucique forsan alii, qui omnium nervorum in suis acephalorum descriptionibus doceant defectum.

Ovaria rarissima omninoque valde erant mutilata ac defectuosa. Pauci ovariorum tantum alterum inveniebant. Pari cum his incedunt gressu mammarum glandulae in fœtubus alias iam ita evolutae, ut ipsum lac iam contineant; mammarum in thorace, cute illa adiposa contectarum, seroque impletarum crassiori ne

vestigia quidem sunt inventa. Pauci tantum sunt, qui genitalia interna normalia perfectaque invenerint. Lankischius, Heuermannus Meckelius et Gilibertus ovaria plane abesse in acephalis a se investigatis enarravere, Goellerus, Katzkyusque uterum invenere bicornem. Sunt genitalia certe nobilioris iam generis animalium signa; ubi polyporum infusoriorum entozoorumque desinunt regna, nobiliorum fines sunt animalium, sui similia non ramis decidentibus, surculis quasi, propagantium, sed genitalibus exsertis voluntateque creantium.

Eminent hic etiam prae aliis cordis opes, hoc enim vitium a corde exoritur deficiente, non ex cerebri absentia. Genitalium vero defectus in cerebro carentibus, quibus cor erat concessum suis cum vasis primariis non inventus est. Imo contrario etiam haec nititur sententia; fuerunt enim, ubi cerebri pauxillum inveniretur, in quibus tamen a corde derelictis ne vestigium quidem genitalium est perceptum. Probabile igitur magis magisque benevolo fiet lectori, quod initio huius opusculi sum suspicatus, facileque, evolutis sensim, quae his in monstris observata sunt, unicuique patefiet pervolventi cordis cerebrique alias ad partes relationem mutuam, cor adesse non posse in monstro, ubi talia inter se coniuncta sunt vitia, ut capitis cerebri, medullae spinalis, intestinorum, thoracis, extremitatum superiorum, genitalium reliquorumque vel absentia vel iusto maior deformatio, atque eundem ad modum corde absente haec omnia undequaque promanare formae organorumque vitia atque deformitates.

Liceat mihi tantum his adiicere, uterum, qui saepe, ut apud Lankischium, Gilibertum, Heuermannum et alios desiderabatur, bicornem saepius visum, testesque solito plures mammalium quasi imitare formas. Restant plura minora penis corporum cavernosorum urethraeque vitia describenda, quae vero sat superque in aliorum dilucidata scriptis, hic non exarata relinquam.

Pervenimus nunc ad thoracis organa, quae, cum physiologiam sequimur comparativam, iam eminentiorum animalium solent indicare structuram, cum vel infimis, abdominis adsint ut organa ita functiones, carent his tamen omnia monstra, quae cor dereliquit; absunt plane omnia pectoris organa his in acephalis, cum

tamen idem non fiat cerebro aliisve gravissimis corporis partibus absentibus. Quid igitur nobis obstat, hic eodemmodo, ut paullo antea concludere, a corde haec omnia emanare, cum insuper in Giliberti acephalo (v. pag. 27. in description. serie) ubi cor reperiebatur atque una cum hoc uteres aderant pulmonum formam referentes. Sunt vero pulmones praesertim cordi plane annexi cumque hoc tantum prodeunt, quamquam confitendum nobis ex altera parte est, cor saepius sine pulmonibus esse, quod, ut de monstris sileam, iam mollusca aliaque facile probabunt. Fuere quidem viri Heuermannus, Prochaska, Salzmannus et Deleurye, qui de foetubus sermonem faciant corde carentibus, atque tamen massam continentibus pulmonibus nou dissimilem, sed hi ipsi nec certa aliqua hac de re praebuere, atque insuper enarravere, tracheam abfuisse, quae sola paene indicio esse potuerit, pulmones hanc massam fuisse dicendam. Vasis enim pulmonalibus imperspicuis, quod omnium certe saepissime fit, facile in eo haerebimus, annon massa ista pro pulmonibus habita ad cellulosam telam sero impletam pertineret, de qua supra pluribus dictum, vel alia etiam fuerit res, ut hydatides magnae per se pulmonibus non valde dissimiles. Apud Prochaskam (pag. 60) massa haec polmones referens tam imperspicuam praebebat faciem, ut, ne pro renibus eam habeat, valde dubitaverit.

Adest etiam iu foetubus omnibus, quibus pectoris organa magis evoluta, glandula thymus vixdum notae utilitatis, cuius tamen usu cum renibus succenturiatis fœtus carere non posse videtur; haec in acephalis numquam perfecta inveniebatur. Sunt auctorum plurimi, qui referant, plane eam abfuisse; solus Cooperus tres invenit glandulas, quae microscopii ope investigatae, thymi praebebant speciem; una cum hoc auctore Malacarnius denique simile quid invenit in casu suo IVto pag. 56.

Singulare neque praetereundum videtur, quod diaphragma abest. Fere enim omnes acephali communi illo pectoris abdominisque termino plane carent. Partis lumbaris quidem nonnulla imperspicua reperta sunt vestigia, sed abdominalis huius musculi portiuncula minime certe sufficit diaphragmatis formae lucido

modo praebendae, atque praeterea in tali massae vix non inorganicae acervo difficillimum certe erit definitu, haec pars verene ad diaphragma pertineat vel plasticarum tantum virium sit molimen. Schelhammerus, Büttnerus atque Mery de massa aliquid suspicantur diaphragmati haud dissimili, Katzky tantum verum diaphragma se invenisse censet, sed ne peritonaeum cavitatis utriusque fines describens pro hac gravissima parte habuerit, valde dubitare licet. Ad ductum quod pertinet thoracicum, venam azygon hemiazygon aliaque vasa in pectore recondita, de his in vasorum systematis adumbratione infra mox fiet sermo.

Pleurae denique paene nusquam mentio facta, ne ipsis quidem illis in auctoribus, qui cordi aliquid simile corporaque pulmones referentia se invenisse docent, nil omnino dictum invenimus hoc de organo physiologice patholagiceque praesertim gravissimo, cum tamen alias nobilioribus organis deficientibus, pulmonibus nempe, involucra talia magis magisque evoluta locum illorum explere viderentur; forsan huius etiam absentia, pro sua perenni pulmonum consectatione, pulmones certe illa non fuisse corpora docebunt, quibus sua defuit pleura, sed de his accipias, ut libet.

Praeter genitalia interna, quorum defectus vitiaque recensuimus, omnium hic maxime evolutae sunt partes in abdominis reconditae cavitate; hic in infimo isto organicorum gradu, ubi maiores quasque facultates aspernatur, pellitque solius reproductionis organicae viribus instructus Zoophyta, etiam acephali colliguntur fractae ceterum opes ad organa evolvenda, munia sua numquam subitura. Ventriculus ipse vix non omnibus in acephalis abfuit, eminet inter omnes Klein, qui illum in regione superiori et posteriori abdominis invenit parvum tamen, oesophagumque ex illo emanantem mox abruptum. Schelhammerum illum insequitur, qu' plane normalem se hunc vidisse in acephalo profitetur ni intestinum crassum in acephalis solito maius forsanque etiam diverticulum illud Meckelii, hic semper praesens, pro ventriculo habuerit. Curtius illum ita perfectum vidit, ut oesophagus medio inde a pectore descendere perciperetur, in vesicam sero impletam

membranaceam oblongam, parte ad intestina tenuia obversa coece desinente. Vogli crudum tantum repperit ventriculum.

Paucula haec de ventriculo ex Meckelio retuli, ne eorum, quae dicta inventaque hanc quoad partem oblitus esse videar; confitendum mihi tamen, rarissimum omnium aliorum adesse ventriculum, atque si umquam affuerit, maxime imperfectum fuisse. Cum gastri vero absentia tenuium intestinorum pars superior paene semper abest, ita ut duodeni flexurae desiderentur atque ieiunum ileique tantum extrema pars in cœcum desinens sit percepta; sunt vero etiam monstra plura, quibus etiam hae novissimae tenuiorum parietinae non adsunt, et omnium primum intestinorum percipitur cœcum. In quarto meo, quod descripsi exemplari (vid. pag. 78.) et duobus aliis casibus, occluso fine intestina in funiculo umbilicali originem traxere suam, quod tamen mirum non erit, cui notum fuerit, ipso in infante normali ceteroquin modo evoluto, sub normali partu saepe intestina extra abdomen recondita fuisse. Non inconcinne hic mihi transeundum videretur ad diverticulum illud Meckelii, transitum illum ab intestinis ad vesiculam umbilicalem a progressa evolutione nondum deletum, ni tanta de hoc scripta invenissem a tantisque viris, ut annotatu tantum dignum habeam, paene semper hoc diverticulum in acephalis aliquanto maius inveniri.

Intestina omnia facillime probant, evolutionis progressum hic in statu valde praematuro esse interruptum, vel ut ego opinor, non per se potuisse progredi, viribus iam non sufficientibus, uti supra pluribus monui. Flexurae circumvolutionesque iam insectorum intestinis propria hic saepissime desiderantur in tubo alimentari in nonullis paene recta linea ad anum decurrente. Vix non umquam ileum iusto minoris et longitudinis et crassitiei est visum. Kleinius noster intestinorum gyros valde imperspicuos fuisse, in acephalis ab ipso investigatis refert. Intestini quod restare solet, ilei saepe adeo obscuras organismi sui retinuit notas, ut a Mery pro processu vermiformi superfluo sit habitum, cum verus tamen praeterea afforet; aliis vero acephalis haec tenuis intestini portiuncula iam adeo perfecta fuit, ut valvula non deesset Bauhini, membranarum omnium normali modo

perfectarum indicium certum atque perenne. Frequentior ilei inde ex funiculo origo Meckelio persuasit, ileum vices suscepisse diverticuli, hoc ubi desideratur, magnumque esse diverticulum dicendum; hanc hypothesin annon multa adhuc refellant, (ut ipsa diverticuli maior in acephalis frequentia, naturam sic numquam decedere ostendit) viris relinquo quibus talia decidere fas erit. Saepius etiam media sua in via intestina erant dirupta, septive quasi ope secreta, duos acervos efformantia, qua in re cum alia non inveniatur causa, multis erit locus hinc concludendis: hic fortasse altera intestinorum pars originem a superiori, altera ab inferiori parte traxisse est dicenda. Pertinet ad oesophagum, pectorale illud organon, atque ventriculum pars intestinorum superior, ac inferior vix amplius faecium excretioni praesertim destinata, in abdominis descendit partes; multa plurimaque hic sese offerunt, sed ab anatome tantum plurima in acephalis ostensa a physiologia progrediente in liquidum evehentur. De processu denique vermiformi paene in omnibus acephalorum descriptionibus fit mentio, quod etiam fieri necesse est, cum organum hoc, sic enim, opinor, dici meretur, in foetus immatura aetate evolutionis suae fastigium assecutum esse soleat.

Continebant intestina mucosa aliqua, quae le Cat mucum esse profitetur ex cinereo album, (contained excrements of a light-ash colour) quocum plures confentiunt auctores idem sese invenisse enarrantes. Antoine massam luteam, Kundmannus ex luteo albidam, Buschius vero crassiusculam iam ex fusco luteam invenit. Solus extat Gilibertus ille, qui multa in acephalis inaudita descripsit, docens verum sese in acephalo invenisse meconium. Magnae hanc rem esse gravitatis scientiam quoad obstetriciam, quis est qui neget? censeas enim hic in vere acephalis, ubi cum capite collum desideratur, monstrumque superne a massa epidermide inducta est obtectum, inferiori a parte anus saepissime impervius, censeas, inquam, in his ipsis verum meconium adesse posse, atque per se evanescet illa opinio, quae hanc massam faeculentam a liquore amnii oris ope inhausto derivant, pilos in meconio repertos lanuginem esse ab epidermide decidentem una cum liquore amnii deglutitam dicentes. Multa alia inde profluent certiora,

at de foetus alimento ex liquore amnii oriundo, et de partu praematura ex membranarum ruptione facto, aliaque, quae, quamquam iam multifariam percogitata, ad illud denegandum atque hoc ab omni incertitudine immune faciendum physiologica hac etiam a parte suas desiderant vires. Cum vero ex plurimis acephalorum descriptionibus abesse meconium pateat, non solum ex hepatis vesiculaeque praesertim felleae iactura, cuius bilis cum muco ab intestinis secreto commixtione meconium oriri videtur, hoc erit derivandum, an liquoris etiam amnii per os perque anum imperforatum denegatus ad interiora accessus sua hic conferet. Utcunque tamen sit, silentio certe non erit praetereundum, acephalos illos tres, quibus mucum infuisse meconio persimilem supra enarravi, hepate ad unum omnes caruisse. Multa invia hic deprehendes et physiologo nondum stratam hac in re esse viam, omnibus patet, sed meum non est tantas dirimere lites.

Anus imperforatus esse solet, rarius vero a membrana solum obturatoria hoc factum, quum ab intestini inferiori parte absente vitium hoc contractum esse solet.

Ad organa, quibus saepissime acephali carent, hepar pertinet. Est solus Gilibertus, qui hepar se invenisse doceat, adest Kleinius qui sua cum accurata diligentia acephalum perscrutatus, organo huic simillimum quid ex lobulis rubris constans vidit, ita tamen mutatum, ut quasi cum renibus conflueret, quum ureterem dextrum ex eo decurrentem perciperet. Desunt vero, quae hepar esse massam illam rubram in abdominis parte superiori reconditam docere potuissent. Vena enim portarum, vesicula fellea ductusque choledochus ceteraque vasa absunt, et ne pro renibus habenda esse, valde is dubitabit, cui patet, quantum in acephalo renes magnitudinem adipisci solent, ita ut iam pro corde hepate aliisque partibus renes a viris vel sagacioribus atque in arte anatomica praestantibus sint habiti.

Hepatis iacturae systematisque omnino portae depravationi arctius lien adhaeret, qui etiam quam saepissime abesse solet. Restat solus Schelhammerus, qui hepar una cum vesicula fellea ductuque cystico ipsumque lienem se vidisse

putat. Sunt quidem nonnulli, qui hepar quidem magnum, nullum vero lienem in acephalis se observasse profiteantur, at hi illi ipsi una cum le Catio in liquidum nondum rem perduxere, verene hepar fuerit, vel massa tantum renalis hic illic pro lobulorum renalium structura dispersa, cum renculi etiam superflui, in fœtu adeo perfecto non rari, hic magnitudinem insolitam adipisci potuerint, quod perpensis partibus illis in fœtu immaturo maioribus, mox in infante maturo decrescentibus, certe non ab omni abhorret verisimilitudine.

Abest plane, nec, Schelhammero excepto, umquam ab alio percepta est in acephalis vesicula fellea, res facilis explicatu, cum per se constare non videatur, scilicet receptaculum tantummodo fellis accepti, sed magni tamen esse momenti hoc vitium, docet constans eius in molluscis usus, ex eiusque perpetuo defectu concludere licet, vix aliam massam pro hepate habitam vere fuisse, altero quasi corde, sic enim certe hepar in fœtu dici meretur, ubi parvulae illius secretionis bilis pro organi magnitudine sanguinisque eximia multitudine, vix ulla ratio est habenda. Omento plane carent haec monstra, nec umquam de hoc sermo fit in acephalorum descriptionibus; adipis secretio ad exteriora et cutem recessisse videtur, ubi, ut supra fusius dictum est, massae serosae adiposaeque multitudo non contemnenda est collecta.

De pancreate tandem paucis rem absolvam; excepto enim viro Celeb. Klein, qui duodenum tali in massa reconditum refert, solus est Gilibertus, qui pancreas vere se reperisse censeat. Est vero, ut succincte meam de abdominis organis dicam opinionem, est hac in cavitate in acephalis rerum ordo ita disiectus, totaque massa a solito adeo abhorret, ut, nisi ex rerum connexu certe patet, quo pro organo aliquid sit accipiendum, solus locus nil aliqua pro re possit probare. Quae igitur in abdomine latent, quoad structuram incerta vagaque vel plasticarum virium sunt habenda molimina, cum perfecto alicui systemati efficiendo haud amplius sufficerent vires, vel ad massam renalem erunt ducenda, cuius luxurians in acephalis magnitudo mox ex pauculis, quae de systemate urinario dicam, patebit. Sed ceteris rebus silentio praeteritis, haec constare opinor,

cor in acephalis una cum hepate semper abesse; sunt haec ambo receptacula sanguinis vasorumque incitamenta, plane supervacua monstris, quibus pauxillum sanguinis est, et vasa paene nulla, vel saltem indiscreta. Hinc facillime aliorum organorum vitia explicentur, hinc etiam renum ambitus aliquanto maior derivandus, nam si illud, quod Celeb. Iacobsenus docuit, sanguinem nempe a renibus susceptum in animalibus minorum gentium mere venosum esse, hoc si multa longaque ab experientia erit comprobatum, plurima hinc nostram etiam in rem effulgebit lux. Sunt enimvero omnes fœtus aetatis tenuioris animalibus inferiorum generum similiores, sunt praesertim acephali ii, qui hoc inde a statu emergere nequeunt, ob fractas nisus formativi vires, adde quod nec cor nec debiles arteriarum in acephalis parietes magnas adiiciunt sanguini vires, atque vix non omnis acephali sanguis venosus erit dicendus, ideoque solum illud corporis organum, quod a sanguine nutritur venoso, supra solitam magnitudinem formamque est excultum, renes enim in acephalis paene iam concreti, nec in lobulos dispersi magis adultam mentiuntur aetatem, ceteris organis vel maxime mutilatis vel adeo absentibus, quin etiam genitalibus vel deficientibus plane vel imperfectis, systemati urinario ceterum arctius coniunctis.

Est vero systema urinarium omnium maxime perfectum. Vix umquam renes desiderantur; sunt tamèn Everhardus, Odhelius, Coöperus, Gilibertus nonnullique alii, qui eos in acephalis a se investigatis non affuisse doceant; timide hic meam opinionem exsero, annon hi illi viri negotiis forsan oppressi, nec uni acephalo inquirendo vacantes, renalem massam ob locum demutatum aliis pro organis, ut hepate reliquisque talibus habuerint: similia huic fieri posse ex nonnullis descriptionibus satis superque patet. Frequentior est solitaque deformatio, qua dextri praesertim magnitudo eximia aliquanto laevum superans, quod praesertim causae esse potest, ut alio pro organo habeantur; saepius tamen ambo renes unam colliguntur in massam, ubi hilus superiorem vergit ad partem. Inter vesicam urinariam renesque constans reperitur relatio, ita ut his deficientibus, illa etiam absit, atque ubi nihilominus illis absentibus, haec aderat, parietinas

tantum vesicae retulit, in massa deformata compactaque. Katzky solus praesentibus permagnis renibus absentiam vesicae urinariae refert. Angustior praeterea solito reperta est vesica urinaria cum urethra, post hymenem in vaginam decurrente, vel denique, quod semel repertum, renibus absentibus rectum in vesicam desiit, contrario quam in cloaca fieri solet modo.

Ureteres saepe ipsis renibus perfectioribus aberant, et Celeb. Klein aliquid huic paene contrarium vidit, ureteres nempe, quorum alter tres in ramos superne dividebatur, sine massa renali perspicua; variant praeterea ad magnitudinem diametri, quod vero in ureteribus solitum aliquid est, et ab impedimentis morbosis saepissime excitatum. Renibus denique in unum colliquatis, ureteres tamen ambo constanter decurrunt.

Ad renes quod attinet succenturiatos, paene semper iusto sunt minores, vel etiam plane iis acephalon caret, ac renibus magis magisque evolutis paene plane evanuere. Quae Sœmmeringius igitur censuit, renes succenturiatos cerebro deminuto decrescere, ad Heussonii sententiam, at a cerebro carentibus tamen eos non abesse, non omnibus in acephalis se comprobavere. Sunt enim Vogli, Meckelius, Kleinius, Gourraigne atque alii, qui doceant eos plane in cerebro destitutis abfuisse; ut vero etiam ex contrario evincatur nostra haec opinio, perpendas, quod cerebri etiam pauxillo in monstro quodam percepto, renes tamen succenturiati plane secesserant. Perpensis igitur hic, quae nobis sese offerunt, nonne verisimilior aliquanto nobis esse videbitur ista opinio, cum cordis iactura renum succenturiatorum defectum esse coniunctum, sitne ex coniunctione causali, vel utrumque, ut effectus alius causae impedimentive prodierit, meum hic non erit decidere, hoc tantum dictum velim, corde invento, renes semper adesse succenturiatos.

Peritonaei in acephalis, quamquam vix usquam mentio facta est, tamen plerisque hoc affuisse opinor, in iis praesertim, quibus intestina iam magis erant perfecta. Eminent vero magnitudine et multitudine constantiaque in acephalis glandulae mesentericae. Licet forsan hic ratiocinari, lymphaticum systema per-

fectius hic adesse, quod etiam in hoc evolutionis infimo gradu nullo modo mirum est, ubi vegetae reproductionis vires alia suppressere systemata. Sunt praeterea glandulae organa ignobilia, quae ossibus cutique succedunt, inferiores multo aliis corporis partibus, quod praesertim ex suppuratione glandularum perspicue videndum, ubi cariei quam simillime exfoliantur ut ita dicam, lenteque evanescunt, nec parte aliqua earum insoluta remanente, unquam in sanitatem redibit corpus. His iam pertractatis, reproductionis organa insequuntur irritabilis systematis instrumenta. Ex gradu illo inferiori, quem in rerum ordine acephalorum occupavit moles, iam per se patet, quaenam hic sint exspectanda, comprobatur hac praesertim a parte hypothesis illa, quam supra iam pluribus indicavi, vires nempe plasticas tantas solum affuisse, ut quendam usque ad gradum sufficerent, deinde vero, nisu cessante formativo, in eius locum successit vegetativa illa vis, omnium rerum in corpore animali contentarum, neque iam emortuarum propria, quod, quantis omni a parte stipetur difficultatibus, non praetervideo, in hoc tantum omnibus renitor viribus, censendo impedimentum quodque certe sic agere nequire, ut simul externas partes, simul internas non solum deformet, sed ex rerum natura quasi tollat. Qua hypothesi fortasse illa explicantur, quae se invicem refutare videntur in vasorum structura sanguinisque circulatione, absente vi motrice. Antequam vero meam qualemcunque de vasis sanguiferis proferam opinionem, prius videbo, quae ab auctoribus hac in re de acephalis annotata sint. Gœlleri haec de vasis sanguiferis exstant dicta: vena umbilicalis in venam effunditur cavam, inferiori in parte renibus ramos compertitur, in iliacasque transit. Supra cum aortae ramo anastomosin efficit. In parte hac superiori ceteri ex illo excurrunt rami, arteria aorta supra in carotides divisa, infra in iliacas discedit. Arteriarum igitur systema venosumque iam hic sibi oppositum videmus, nec anastomosis hic aortae venaeque cavae est praetereunda, simulque omni notitia dignum est, venas solum affuisse renales, nec arterias his comites perceptas, quod quidem hypothesi illi fidem maiorem comparare videtur. Renes venosum

solummodo vel hunc saltem prae alio hauriunt sanguinem, eamque ob rem ceteris organis magnitudine praestant, et perfectiori structura gaudent.

Schelhammer, nec arterias, nec venas usquam invenit, nec sanguinis aderat guttula; quo de acephalo annon molae sit proximus, valde foret dubitandum, nec inter acephalos, qui fœtus tamen dicuntur hic duci meretur, nisi cetera in Schelhammeri monstro non plane infimum animalis designarent gradum. Sanguinem vero nullum hic esse visum, inter acephalos rarum est: in pluribus enim his nullus talis humor, in his aquae aliquid simile, in illis humor aderat rufus. Hac vero in re monstra mihi ad animalium genera inferiora recedere videntur, praeter atheromata enim omnia alia a corpore humano procreata sanguinem continent rubrum.

Apud Antoine vasa umbilicalia omnium vasorum erant et initium et finis, quae praeter vires sanguinis circulationis necessarias non aliis in difficultatibus irritabile implicat systema; a vasis umbilicalibus arteriarum, hic nutrientium munere fungentibus, omnia munia erant suscipienda, atque sic vitam fœtui ex suo organismo propriam paene excludebant omnis huius monstri munera sibi arripientes.

Aortae arteriarumque ne vestigium quidem viderat Pujol, omnia vero a venis nutrita restitutaque, quod una cum corde arteriarum vi motrice gravissima est iactura quae acephalum laedit, venis igitur ut videtur hic non solum arteriarum vires erant suscipiendae, sanguinem per corpus fœtale agendo, sed reditus sanguiuis ex placenta introituque tota cum circulatione hic aliquomodo latent.

Mery opinatur, sanguinem protinus ex vena umbilicali in aortam tansiisse, nec amplius hanc in rem inquisivit. Censet tamen, intestina sanguinem arteriosum ab arteriis accipere, umbilicalem venosumque sanguinem venae reddere umbilicali; quae inter se haud plane contraria esse, non solum Büttneri, sed multa etiam alia exemplaria ostenderunt. Valsnieri et Katzky paene normalem retinuere vasorum decursum, qui illis corde congruo facilior adest, nec ideo multa hic sunt de vasorum ordine notanda, praeterquod de renibus praefert, vasa eos

habuisse, ita ut haec si ratiocinabimur ad dicta, in renum regione circulationis erit sanguinis locus centralis, quod optime coniungi licet cum aortae illa dilatatione, de qua in variis acephalorum generibus ad systema sanguiferum factis fusius erit dicendum. Ipsum hoc, cor affuisse negare videtur, liceat mihi enim repetere, hos viros, quos ceterum honoris causa nomino, in tam deformi rerum mole forsan aliquam aliam massam pro corde habuisse.

Praeterea enim in Giliberti acephalo cor nec utroque ventriculo nec ipsis ambabus auriculis caruisse dicitur, quod in acephalo animali inferiorum generum simillimo non plane probandum est, cum cor ranarum modo perfectum certe acephalis multo aptius fuisset; praeterea haec silentio praetermitto, atque nunc tantum de concentratione circulationis sanguinis pone renes loquor, ubi, uti postea videbimus, vasorum angulus hanc tenet viam, ita ut sanguini hinc ex aorta supra infraque descendenti ascendentique sit accomodatus; quod ideo nunc fiet cum corde, ubi novus rursum erit vasorum angulus proferendus, duplex hic, quomodo sanguinis concentratio non sese invicem refellet; sanguis enim a corde descendens prope renes a dilatatione retundetur atque sic semper in eadem manebit regione idem sanguis, sed quid amplius de his? hoc saltem patet, sanguinis duplicem concentrationem angulique vasorum viam diversam in uno eodemque corpore adesse non posse.

Winslovius venarum nulla vidit vestigia, in aortam mox incurrit vena umbilicalis, quae vero non sanguinem rubrum, sed liquorem tantum continens aquosum, omnia organa ramis exornavit arteriasque ex se emisit umbilicales. Ordo hic vasorum circulatioque difficillime intelligitur, ubi enim sanguini redeundi via? incurrit in corpus fœtale sanguis per venam umbilicalem, quam venam esse et numerus arteriarum duplex et minus tamen parietum probat structura, cum in ipso homine adulto, qui sese suspenderat, arterias vidissem venarum formam referentes. Emissis igitur ex aorta quam dicere solent, omnibus ramis ad varias corporis partes pertinentibus, et arteriis etiam umbilicalibus, unde nunc redibit sanguis ille arteriosus, per venam umbilicalem fœtui allatus, quis nunc to-

tius sanguinis circulantis finis, ubi stagnabit illa sanguinis moles, quam etsi a Schelhammero non visam, tamen et aliae descriptiones et rerum ordo probant, plane parvam non esse; nullum hic video exitum, nisi censeas arterias etiam vires exercuisse antiperistalticas, ita ut emittat idem vas per arterias umbilicales sanguinem a vena acceptum, exitu forsan per hanc denegato, a valvula, quae ceterum hic adesse non solet; tunc vero tamen restabit, si difficultates paene immensas hic constructas praetervidebimus, quorsum omnis sanguinis massa confluere nititur in aortae mediam partem, hanc enim iliaca interna occupat sedem. Dilatationem enim aortae prope arteriarum umbilicalium exitum, si pro corde haburit, auctae erunt difficultates; sanguinis enim alia pars ascendet, aliaque descendet, quae igitur vis haec praestabit? Restat solum illa opinio, sangninis hic exiguam ex placenta influere multitudinem, quae omnis usui plasticarum virium crudarum quasi destinata, paullulum tantum huius humoris refluere sinit, sed quem ad finem tunc vasorum lumen certe non angustum? Nec ubi venae tantum in acephalo regnant, minutae circulationis explicandae difficultates, hoc tantum levius, quod sanguis hic non, ut in arteriis ad extrema corporis profluere studeat. Vias clandestinas systemave vasorum capillarium hic sanguinem referre, non verisimile est, ob aortae non parvam latitudinem, praetereaque viae clandestinae suspectae hoc munus praestare nequeunt. Salsmannius aortam angustiorem pauculis cum ramis invenit, ita ut omnino venosum hic systema praedominari videretur, quod, ut supra iam dictum, tumorem praesertim meminisse iubet, omniumque rerum ab inflammatione gravi nisuve plastico in corpore animalis vivi productarum, quae ad unam omnes sanguine scatent venoso, magnitudine certe venarum, facile arterias superante.

Gourraigne: nec aorta nec vena cava aderant: vena umbilicalis mox ab introitu in abdomen duos dividebatur in ramos, qui, magis magisque ad superiora inferioraque divergebant, ramulosque emittebant, idem facientibus arteriis umbilicalibus. Ramificationis huius iconem adeo tradidit, sed quia intelligi nequit, quod tamen ad vitium rei difficultas multa non contulit, hic enim si systematis

sanguiferi totus fuit circulus atque area, tunc certe polyporum aequabit omniumque tumorum structuram.

Le Cat: vena umbilicalis mox in aortam transit, quae ramos totum in corpus emittens, inter alios arteriam umbilicalem produxit.

Büttnero: funiculus unam tantum amplam continuit venam, mox varia ad organa ramos emittentem antequam in venam cavam transiit; nulla vasa arteriosa, nullus sanguis; hac de systematis irritabilis constrictione iam supra in Mery acephalo paucula sum praefatus.

Coopero: arteriae umbilicales in aortam decurrunt, supra sensim sensimque angustiorem, infra extremitates inferiores sanguine exornantem. Vena umbilicalis mox in ascendentem, descendentemque dividebatur ramum, in vasa transeuntes aortae ramis parallelum retinentes decursum.

Blandio: tota haec massa sicuti acephalus Gourraignii a vasis erat nutrita umbilicalibus.

Kleinius inde ex pelvi magnas oriri vidit arterias, a quibus minores orti rami, venis respondebant, atque ex dilatatione aortae infra enarranda hi prodibant surculi. Enimvero dividebatur infra in iliacam internam externamque, utramque ipsa aorta maiorem. Supra vero aorta magis magisque contracta arterias tres lumbares mesentericam forsan inferiorem, cum superiori sua desint intestina, tres renales unamque hepaticam emisit; ubi liceat pace tanti viri dubitare, annon haec hepatica forsan etiam renalis fuerit, atque sic par renalium numerus arteriarum opinionem supra indicatam massam renalem huc illuc dispersam hepatis referre speciem, comprobare videtur. Magno deinde intervallo octo exoriuntur arteriae intercostales, ex aorta, quae in duos magnos iam dividitur ramos, oblique ascendentes, in unaquaque parte carotidum subclaviarumque modo progressos. Solito loco arteriae proveniebant umbilicales. Eundem sequebantur decursum vasa acephali a viro Ill. de Reuss et de Klein dissecti (in descriptionum serie Nr. LXIII. pag. 71.). De sanguinis circulatione in his monstris ambobus, quae ad normam quam proxime accedunt, infra dicam.

Mon-

Monro: varios in ramos excurrit vena umbilicalis, arteriarum quidem comites, nec tamen veram efformantes venam cavam; arteriae umbilicales, in aortam incidunt, quae supra infraque variis organis sanguinem affert. Isenflammiani acephali icon adest, sed quae vix intelligi potest; amplior multo esse videtur aorta, quam vena cava, quod certum si foret, parvi non esset momenti, inversionem indicans satis memorabilem.

Buschio unam continebat arteriam unamque venam funiculus; utramque in duas mox iliacas decurrentem, aortae venaeque cavae formis haud evolutis; intermedium hic praebetur monstrum illud inter genus, ubi funiculi vasa nutrientia in incerta quaedam excurrunt vasa atque illos inter acephalos, quibus propria iam praebita vasa, aorta venaque cava perfectiorem fœtus indicant statum.

De systemate portae nusquam ne mentio quidem facta est, qua in re ad animalia recedit inferiora acephalus, cum inde a piscibus vena haec, etsi non perfecta tamen iam adesse soleat. Systema hoc per se constans sicuti arteriae pulmonales unico tantum muneri destinatum, hepate, liene, ventriculoque absentibus evolvi nequit, qua de re cum nulla adhuc reperta sit vena portarum, hepar quoque simul lienemque ad unum omnibus abesse concludere licet.

Quemnam angulum efficiant arteriae in origine sua, venaeque in ostio trunci maioris, nemo refert auctorum de acephalis: hoc tantum a pluribus adiectum est, venarum valvulas truncum versus fuisse apertas.

Haec omnia si perpendemus, nonnullaque plane seponemus, quae nondum ullam hac de re praebent ratiocinandi viam, ut Katzkyum Valsnieriumque cordis analogon invenientes, ita Schelhammerum vasorum ne vestigia quidem percipientem, has forsan praecipue sub formas referetur inconcinnas hic vasorum in acephalis ordo.

Primum vero, plane ad molas palyposve recedunt haec monstra, quoad circulationis ordinem atque structuram. Incurrere nempe solet sanguis per vas aliquod a polypi formatione exauctum (hic vas umbilicale) quo in ramos dispertito, sanguinem colligit vena (hic incertum anne arteria umbilicalis venave sit) rursum-

que hac ex parte effert. Nullus apparatus vasorum, mammalium ceterum proprius, omnia parasitae modo a matris corpore mutuata; per se nondum constitit infans, nec statui a matre secreto ullo modo destinatus aptusve. Hinc etiam annexum puto Schelhammeri casum, plane nulla qui invenit vasa; fuerunt enim, ut opinor, vasa multipartita, ideoque iusto multo minora, et cui vasa distincta solitae magnitudinis sperata fuerunt, huic parvula forsan vasa praetervisa sunt, ut in polypis fieri solet, ut vas naturaliter huic parti sanae destinata, prae parte in polypos destinata, maximum mox sub introitu tumoris in maximam vasculorum dividatur multitudinem, ita ut nullus vasis introeuntis continuetur truncus.

Supereminent tum huic ordini vasorum plura intermedia inter praecedentia, illumque perfectum systematis sanguiferi statum, qui corde absente normali quam proximus est. Duci huc meretur primum illa Winslovii descriptio, quae pro accurata sagacique huius viri anatome omni digna est fide, ubi venae absunt, omniaque unum per truncum absolvuntur, cum praeter arterias umbilicales nusquam nova in vasa exitus concessus sit. Simillimus huic contrario tamen sub nomine incedit Pujol, qui nulla aortae arteriarumve vidit vestigia, omniaque a venis constituta esse censuit. Intermedius inter praecedentem vasorum ordinem et hunc, Büttneri adest acephalus, nulla aorta, nullus arteriarum decursus, at vena umbilicalis, antequam in venam transiit cavam plures ramos varias corporis in partes emiserat. Cum de difficultatibus in explicanda circulatione horum acephalorum supra iam sim locutus, hic tantum adiiciam, quod et in venis et in arteriis regnantibus semper expellens adesse debet vis, pro spongia enim haberi nequit acephali corpus, tam ampla vita potitum, quod difficilia explicatu non parvo auget; transibo igitur nunc ad systema acephali sanguiferum omnium perfectissimum, normali quam simillimum.

Tertium hoc igitur genus his fere describendum verbis fere dixi, quia decedere a via strata in acephalis ne pro exceptione quidem est habendum, ubi antithesis adest aortae venaeque cavae una cum arteria venaque umbilicali, ubi nil ad rem, anne vena umbilicalis mox in vena cava desinat, vel ipsam in aor-

tam incurrat, vel etiam iam antequam in vasa foetalia incidit aliis compertiatur organis, ut in Mery acephalo. Ad normam certe proxime accedunt, quibus cor datum ut Giliberti, Katzky exempla, quorum hic tamen inde e regione renali omnes vasorum angulos videt, infra supraque oriundos, qua de re supra in Katzky descriptione pauca sum praefatus.

In his igitur tribus circulationis sanguinis perficiendae modis, primus nec explicatione indiget, omnium facillime patens: secundus vero omni a parte conturbatus, addas enim venis solis regnantibus venae portae vires arteriosas, tamen sanguis non stagnans sed bene circulans (quod sic esse diuturna animalis acephali docet vita, nec nimia magnitudo) multa proferet invia; ipsis arteriis regnantibus sanguis modo a vena acceptus virium suarum ope totum per corpus, mox per umbilicales remittebatur arterias, hanc enim sumsisse viam, perspicue probat viri Celeb. le Cat icon optime exsculpta: Aorta hac in regione, ubi vasa accipit umbilicalia, valde dilatata, supra vero rursum coarctata, ramos emittit hac a dilatatione adversos, sic etiam rami infra emissi, arteriaeque umbilicales ab illa divergunt, atque hi etiam priores rami surculos producunt in eadem directione provagantes, quod sine dubio opinioni illi valde obstat sanguinem per arterias umbilicales ex placenta advenisse. Apud Winslovium etiam rami sunt descripti venae umbilicalis in aortam incurrentis, ad inferiores partes vergentes; sanguini igitur per arterias umbilicales contrariae.

In tertio vero illo genere, quod supra vagis finibus circumdedi, et fœtalia et materna aderant vasa, quibus iam priori in genere gaudebant acephali, sed unam ad partem venosam arteriosamve solam excultus est fœtus, sed ambas iam accepit virtutes immutando sanguinem aliunde exceptum, cum genus illud secundum sanguinem ad partem certe immutatum per arterias remittit umbilicales. Hic vero ob cor deficiens, causam vasorum motricem, circulationis multae eminent difficultates, quas his modis tollere conantur: Primum sanguis via normali per venam nmbilicalem in venam decurrit cavam, quae vi arteriosa simili illi, quam vena exercet portae, humorem vitalem in corpus circumfert, atque tunc ab arteriis

venarum munere functis, sanguis omnibus a partibus in aortam excipiebatur, sua tunc via per arterias umbilicales placentae redditus. Inversus hic ordo in actione arteriarum venarumque varia a parte, dubia praebet normali quidem circulationis modo consentiens, naturae vero suae plane contrarius. Monro sanguinis circulationem hoc studuit explicare modo; nititur eius sententia explicandique ratio echino esculento (vid. eius: Bau und Physiologie der Fische Cap. XIII. pag. 90.) cuius vasorum systema eodem efformatum est modo, tum iis piscium arteriolis quae ex bronchiis excurrentes collectae venarum funguntur munere. Talem in inferioribus animalibus repertam similitudinem, sententiam viri sagacissimi Monro quasi tueri nullo modo negandum, cum quod saepius monui, talia ad genera omnibus suis in partibus recedat acephalus. Levamen aliquod affert arteriis, hic venosum officium exercentibus naturae ipsarum contrarium, quod sanguis ex angulis arteriarum acutis in vasa maiora sensim incurrit usque ad aortae dilatationem, quae ipsa aliquid prae se fert animalibus proprium, subter aqua degentibus, cum vena cava ascendens his in sacci modum est dilatata, aortaque hic in acephalis venarum munere fungi dicitur. Maior hoc imminet res in venarum vi arteriosa explicanda, quorsum enim talibus debilibus parietibus venosis vis sanguinem ex placenta totum per corpus agendi, nisi cor, aliaeve opes iis *adsunt?* quae unica hic restat explicandi via a placenta petatur. Primum enim, iam omni in fœtu incertum est, annon placenta vi agat propulsoria, praeterquod oxygenatum affert sanguinem pulmonumque exercet munus, quamquam enim nullae fibrae musculares in ea adsunt, nec a manu obstetricia talia unquam sunt percepta, cordis tamen parvae in fœtubus vires, cum propter septum supra interruptum cor in sanguinis columnam non aeque ac in fœtu enato agere possit. His vero magnam ob incertitudinem missis, aliud instat levamen circulationis sanguinis in fœtu acephalo a placenta oriundum; cohaeret enim in vix non omnibus talibus monstris funiculus cum placenta infantis gemelli normalis nec septum aliquod saepe, ut ceterorum in gemellorum placentis concretis hic est repertum; fas igitur erit, ex his concludere, sanguinem ex fœtus arteriarumque vi expulsum in

placentam redeuntem nunc simul in acephalum introire, ubi reditus sanguinis ad placentam fiet partim arteriarum systole, partim etiam multas ob leges non physiologicas sed mere hydrostaticas.

Adest vero alia quoque circulationis sanguinis in acephalis explicatio, quae ob difficultates in illa repertas magnam certe meretur attentionem. Censuere nempe, sanguinem paradoxo modo per arterias umbilicales introire, perque venas rursum in placentam redire. Confitendum est, hanc opinionem novam adeo inexspectatamque, paene attonitis initio nobis advenire, tamen illa perpendentibus, quae antea reputata sunt, mox patebit, quamvis hic contrario modo fiat circulatio, sic facillime rem posse rationi nostrae adaptari. Nec enim hic arteriis venarum tribuimus munera, nec venas cum vi arteriarumque propellere sanguinem iubemus; agunt hic vasa, ut res iubet, rerumque necessitas, quae certe tota monstrosa in massa viam illam ingredietur sibi facillimam, nec ut norma retineatur rectique forma, omnia perverso agent modo. Via tantum per funiculum facienda abnormis, sed funiculus in acephalis brevissimus, ita ut dimidium solitae longitudinis rarissime tantum adaequet. Afferunt in acephalis etiam vasa umbilicalia paullulum esse immutata, et nondum aliquid de his observatum, quis enim fines norit, quas ultra citraque consistere nequit rerum natura? Arterias umbilicales nunquam in venam incurrere cavam, hanc vero saepius in aorta desinere, quod arteriarum vires in sanguine propellendo necessarias maxime exhibet.

Sunt enim certe arteriarum tanta hic vi renitenti praeditae, ut sanguini ex corpore brevem per funiculum reiiciendo sat superque sufficiant, atque vires cordis amissi in se collegisse videantur. Censeas igitur hanc sententiam vero proximam accessisse, atque totus ille circulationis sanguinis processus hoc simplici fiet modo. Hauriunt igitur arteriae, ad arteriolarum modum ex bronchiis piscium prodeuntium, sanguinem a vena umbilicali reductum; nec repudianda nostra erit opinio de arteriis hic venarum loco sanguinem intrahentibus, cum idem difficiliori modo per explicationem hanc praecedentem concedatur, restat enim in foetu nulla alia arteriarum venarumque coniunctio quam per vasa capillaria. Praeter

Goelleri enim acephalum, ubi anastomosis aderat inter venam cavam atque aortam, nulla alia talis est visa. Haec igitur si unica rationi nostrae obstat difficultas, quod arteriae sic sanguinem alliciant, ex minimis vasis venosis, multo melius certe erit censendum, hoc parva fieri in parte, placenta nempe, quam in toto acephali corpore, ubi emergat sanguis necesse est, ex partibus duris ac mollibus, cum in placenta molli bronchiorum munere fungente facillime hoc fieri licet.

Hoc igitur facto, vasa omnia parva in ramos duos magnos collecta in foetus acephali corpus transferuntur, atque sanguine per corpus ab arteriarum viribus circumacto, a venosis normali ceterum modo colligitur, ostiis corpusque rursum pervadens humor ille rursum ad placentam per se redit. Hanc praeterea tuetur sententiam res iam dudum notata magnique sine dubio momenti, dilatationem dico aortae iuxta arteriarum umbilicalium in corpus introitum; optime haec cum anevrysmate aortae activo comparabitur, etsi enim aorta hic sit dilatata, crassiores cetera parte habet partes, maioresque solito in se continet vires. Inconcinnum incongruumque foret, soli sanguinis per funiculum repulsioni tanta molimina dicere necessaria, naturamque paucis semper contentam huic parvae rei magnas parasse opes; verosimilius igitur, multoque magis rationi consentaneum, cordis sumsisse vices hanc dilatationem, ut sanguinem agat cum sufficiente vi motrice per totum acephali corpus mulitatum. Addas his, quod acephali corpus tanta vi non indigeat ad sanguiuem circumferendum; nullus enim ascensus ut in carotidibus, per canalem osseum ascendentibus, nec omnino tam graves sanguinis circulantis effectus, uti in normali fœtus statu hic sunt necessarii, quare concludere licet, haud exigua cum verisimilitudine, arterias cum dilatatione praesertim huic muneri sufficere suscipiendo. Sunt praeterea hoc inde ab anevrysmate supra infraque rami ita constituti, ut hanc ad dilatationem anguli sint directi, ita ut ramuli ab hoc anverysmate superiores, ad partes vadant superiores, et qui infra anevrysma sunt, ad inferiora proficiscantur; hoc quamquam iam per se cordi aliquid simile hic adesse indicat, utilitatem etiam magnam in adiuvanda

sanguinis circulatione praebet, quod quidem compluribus in acephalis perspicue videmus.

Alteram cum perscrutamur systematis sanguiferi partem, venosam nempe, venae occurremus cavae, ceteris venis facile ampliori, atque hic etiam aliquid offendemus quod nostram sententiam magis etiam confirmat; sunt enim venarum minorum in maiores incurrentium anguli non acuti, ut expellendo sanguini necesse esse videtur, sed angulos rectos ipsosve obtusos in his percepi, quod certe sanguini imbibendo solum sufficit, cum expellendi vires talibus ab angulis frangerentur. Constantior etiam aliquanto arteriae umbilicalis est in aortam decursus, quam venae umbilicalis in venam cavam; arteria enim semper in hypogastricam vel in aortae saltem partem inferiorem incurrit, cum vena umbilicalis ex venae cavae parte et superiori et media et inferiori procedit nisi in aortam incurrit. Percipimus vero pelvim, ilia, femoraque aliis perfectiora, sunt praeterea nervi in pelvi et femore regnantes, ipsaque harum partium ossa ceteris praestantiora. Multa horum iam supra paucis illustrare ex suisque causis deducere sum conatus, haec vero a sanguine has partes primo irruente derivare studebimus, ubi primas suas nec fractas exhibet vires.

Sunt nonnulli, qui longa ab experientia non convicti, cor in acephalis aliquomodo latere censeant, nec in fœtu tali humano abesse posse. Ut vero saepius iam res ostendit, quod non solum rationi non consentire videbatur, sed quod etiam omnes praeceptas aliqua de re destruebat sententias, sic hic etiam ab anatomia accuratiori et sagacissima celeberrimorum virorum nil capitis speciem referens inveniri potuit, abfuisse igitur hic partem his in monstris, pro certo habere licet. Restat nonnullorum opinio de placenta, cordis loco ea virtute praedita, ut sanguini ad corpus pervagandum vires tribuat, sed seutentiae huic nulla adhuc favent observata et quae de his dicenda, iam supra annotavi.

De vasorum lymphaticorum systemate paene nil scriptum inveni: hoc etiam in tria illa discedet genera, in quae secundum systema sanguiferum acephalo supra dividi, quae coniunctio systematum necessaria sine dubio est, cum humores

qui a lymphaticis colliguntur vasis, in aliquod incurrant vas sanguiferum necesse sit, ut foveat augeatque humorem istum vitalem. Adesse vasa lymphatica indicat glandularum meseraicarum numerus magnitudoque non contemnenda. Hic vero illa tria genera per totam acephalorum structuram regnare facile videbis: primum enim, ab umbilicalibus vasis tota nutritur massa, illic non magnis certe opibus hoc erit praeditum systema lymphaticum, in mole inerte parasitae quasi modo crescente, ut forsan parvula vasa in nullum truncum coniuncta in umbilicalem transeant venam; alterum genus, ubi suis iam nititur acephalus vasis, sed unam tantum ad partem arteriosam vel venosam excultus, compositus iam magis erit lymphatici systematis ordo, iam fortasse hic vasa ex pedibus pelvique unum in truncum collecta in renales aliasve venas vel arterias incurrunt.

Supereminet tum his tum status ille tertius, ubi acephalus iam antithesi arteriosi venosique gaudet systematis, iam vena cava adest, huicque aorta succurrit efficax virium; his iam ad fœtus normalis modum evolutum est systema lymphaticum. Vasa hic in cisternam collecta, iam in ductum thoracicum transibunt, superius mediave in parte snpra dilatationem certe aortae in hanc transeundo, et antequam in placentam transibit, iam omne penetraverit acephali corpus lympha ex omni parte collecta.

Systematis nervosi forma non plane aequo pede cum his incedet; est hac in re magis quam in aliis ordo turbatus, nec perspicue nobis de eius statu iudicare licet ex ceterorum systematum structura; Fere in Clarkii quidem acephalo cui indoles erat animalis infimi, paene nulla nervorum vestigia, sed etiam Isenflammii acephalus cum systemate irritabili vere perfectiori observatus est, quamvis medulla omnibusque paene caruerit nervis. Omnino amplior est numerus eorum, in quibus medulla dorsalis inventa est, quam quibus abfuit. Nervorum illi praesertim, qui ad extremitates pertinent inferiores, semper sunt maxime perfecti; quos insequuntur nonnunquam nervi extremitatum superiorum, qui adsunt *ipsi* cum ceteri nervi integumentorum abdominis reliqui absunt, quamquam plexus ne vestigia quidem reperiuntur. Ill. Klein in acephali vertebris dorsalibus massam

rubi-

rubicundam invenit, alius filum tantum nerveum repperit, cui vasa erant innexa. Ad alterum quod attinet, cerebrum, plexus nempe abdominales, maximi plerisque erant, ipso in abdomine cum tamen in pectore sympathicus abfuit, quod amplius illud comprobat iam saepius edictum: fila illa, quorum ope sympathicus cum cerebralibus cohaeret nervis, ad illius originem nil conferre, reproductionem tantum cum sensibilitate coniungentia.

De musculis tantum addendum puto, quod saepius solito pallidiores et a tela illa cellulosa sero impleta difficulter seiunguntur, plerisque quoad decursum normales raro tantum a via deflexere.

Quoad ossa, ipsa etiam ut partes corporis minus nobiles constantiora sunt in acephalis, et rarius, quam foret exspectandum, vertebrae costaeve absunt: sed in duo genera hic apte dividi possunt, monstra quibus nempe capitis vestigia relicta, et quae his plane caruere. Illius generis fuere acephali viror. Celeb. le Cat, Odhelii, Curtii aliorumque, ubi praesertim le Cati monstrum notatu dignum videtur, cum inter acephalos inferiores tamen ampla capitis retinuerit vestigia, unde facile videre licet, non capitis organa deficientia tantum ad deformitatem vitiaque totius fœtus conferre, quam cordis vasorumque iacturam, notum enim iam erit ex supra dictis, acephalum viri Celeb. le Cat omnibus paene caruisse vasis; Odhelii porro acephalus singularis erat, qui capitis retinueret parietinas ubi cum capite collum extremitatesque aberant superiores. Sternum saepius abest, costae plerisque in media parte disruptae numeri incerti; extremitatum ossa, in finibus praesertim vitiata atque deformata.

Omnibus iam fœtus acephali partibus pertractatis, paucula tantum addere liceat. Notissima res est, acephalorum causam ab unoquoque his de monstris auctore aliam esse dictam. Secundum vetustissimam a populo omnino receptam opinionem, monstra nascuntur vitio infanti per adspectum matris orto. Unicum vero argumentum satis hanc sententiam refutat, quum incredibile sit, cum paene semper monstra eiusmodi cum altero aut gemellis bene formatis infantibus nata sint, in reliquos bene formatos matris phantasiam minus egisse. Inter alias Wolffii

viri Celeb. unam invenit sententiam, non veritatis sed viri causa, talia qui profiteri ausus est, hic commemoratu dignam Henkelius (vid. nova acta phys. med. Acad. nat. curios. Tom. V. annus 1744. et Histoire de l'Academie roy. d. scienc. de Paris 1722. Part. I. pag. 21.) cum enim in acephalo suo, in descript. serie non enumerato infanteque gemello illum comitante nil vidisset funiculo placentaeve simile, hoc Wolffium virum cuius laudes praeterea notissimae sunt, deduxit ad opinionem, nutritos educatosque ambos hos esse fœtus inorganicorum quasi modo. Censuit nempe, fœtu ab omnibus partibus ab utero cincto, cuius humores paene ipsa in superficie promanant, humores huic fœtui nascenti aequales, corpus eiusdem penetrare, atque sic ovulo crescendi non solum erant causae sed ipsos nutriebant ungues digitosque, quos iam per se nisus praetulerat formativus, hincinde cor abest vasaque et hepar, alterum infantis cor, rel. Haec sententia refellenda tantum, quia tali a viro proposita primum observatione refutatur, in ceteris acephalis ut funiculum placentamque reperta, ita etiam a simplicibus incipientia mox magis composita evadere vasa usque dum ad perfectius enitantur. Tum etiam alia ratio hanc refellit sententiam. Quod enim ad regnum recedet hic acephalus ipseque fœtus perfectus, in animalibus considere nequit, ubi ipsa simplicissima ut polypi tumoresque vasis praedita sint necesse est, quibuscum corpori eos nutrienti cohaerent; ne de polypis veris dicam, zoophytis, mollucisque, vita ac voluntate potitis, qui vasis iam ex aliis corporibus profluentibus non egent, cibum ipsi sibi quaerentes quae certe virtus ovulo non concedenda, cui oris insuper abest apertura, ano simul imperforato. Ad vegetabiliumne regnum recedent hi fœtus? sed his radices, vasorum quasi loco, terrae cohaerent, quae animal iam in se recondit: Nec mineralium quae dicuntur modo nutriri queunt haec monstra, unde enim lineae illae rotundae, succis externe cum aqua sufficiente accedentibus, anguli hic fierent crystallique ad incertissimos fines redacti.

Sed vix amplius hanc refellere opinionem opus est, quae satis ostendit, interdum bonum dormitare Homerum. Fuit olim celeberrima alia sententia: caput scilicet ab hydrope ruptum, resorberi atque sic acephalon fieri, quod, ut hie

omnia praeteream, huic disruptioni contraria, colli extremitatumque superiorum ipsarumque nonnullarum vertebrarum dorsalium costarumque absentiam explicare certe nequit, ne de organis dicam internis valde iam evolutis in fœtu, cui ab hydrope rumpitur caput. Altera huic non absimilis olim regnavit opinio, fœtu ab infante gemello compresso, caput non provenisse, sed interna qua de re non prolata? quae compressionem nullam sustinuere? cum his certe partibus ad magnitudinem non contemnendam pervenisse necesse fuerit, priusquam in uteri cavo pressio in eas agere potuerat. Quam saepe gemelli tres aut quatuor formosissimi infantes enascuntur in quibus ne vestigium quidem pressionis. Restat igitur unica illa opinio, inde ab initio tam debiles huic acephalo affuisse naturae genitricis vires, ut nobilia illa caput, cum corde hepateque reliquisque creari nequirent, ad inferiora accedente acephalo, nisu tamen formativo, quae potuit, proferente. Iam plura hac de sententia mihi supra sunt dicta, in singulisque acephali partibus describendis huius opinionis verisimilia non pauca protuli. Tanta ad liquidum hic nondum producta viris sagacioribus relinquo ad certiora reducenda, sic spero fore ut dies olim proferet, quae, qui nunc perfecta sistere conaretur, oleum operamque forsan perderet. Qualiacunque potui legenti dedi, accipias benevolo animo moxque incertas nostras lineas ad perfectiores redigas formas.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Dedic. linea 4. lege Wuerttembergiae loco Wuertembergiae.
Praefat. pag. II. linea 10. lege conjunctiones loco conjuntciones.
— — — IV. linea 21. lege homines loco homnes.
— — — IX. linea 4. lege Medioburg loco Medisburg.
— — — X. linea 21. lege cavalier loco acavalier.
— — — XI. inter lineam 27 et 28. adde: Essai historiques, literaires et critiques sur l'art des accouchemens etc. par Mr. le Sue. Paris 1779. 2. Vol. 8.
— — — XII. inter lineam 3 et 4. adde: Verſuch einer Geſchichte der Geburtshülfe von le Sue. Altenburg 1786. 8.
— — — XII. linea 9. lege quorundam loco quorumdam.
— — — XIII. linea 4. lege excurrit per lustra loco excurrit lustra.
— — — XIII. linea 24. lege del loco Del.
— — — XIV. linea 13. lege 1819 loco 1809.
Descript. pag. 3. No. III. linea 2. adde post 143. pag. 311.
— — — 13. — XIII. linea 1. lege Monspeliensi loco Montis Belligardensi.
— — — 20. — XX. inter lineam 1 et 2. adde: Essais histor., lit. et crit. sur l'art des accouch. etc. par Mr. le Sue. Paris 1779.
Verſuch einer Geſchichte der Geburtshülfe von le Sue. Altenburg 1786.
— — — 31. — XXXII. linea 9. lege Hagstroemio loco Haystroemio.
— — — 33. — XXXIII. linea 2. lege Archiv. loco Archiv.
— — — 43. — XXXVIII. linea 7, 8, 9 et 10 delenda est.
— — — 79. — LXIX. linea 8. lege testiculus et vesica loco testiculusque.
— — — 79. — LXX. linea 1. lege etiam loco idem.
— — — 79. — LXX. linea 2. lege Rudolphi loco Rudolphis.
— — — 79. — LXX. linea 3. lege digitos loco digistos.

TABULAE

AD

DISSERTATIONEM ANATOMICO PHYSIOLOGICAM

DE

ACEPHALIS SIVE MONSTRIS CORDE CARENTIBUS

AUCTORE

ERNESTO ELBEN.

BEROLINI MDCCCXXI.

EX INSTITUTO REGIO LITHOGRAPHICO.

EX MUSEALIBUS REGII PHYTOCHYMICO
PETROPOLI MDCCCXXI

EXPOSITIO

CHEMICA

ANALYSEOS

VEGETABILIUM SUCCESSIVAE

DE

LIGNO GUAIACI OFFICINALIS

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

AUCTORE

CAROLO GUILIELMO GMELIN

Tab. I.

Fig: 1.



Fig: 3.



Fig: 4.



Fig: 2.

R

Lapidi inscripsit J. U. Brücke.

Fig: 2.



Fig: 1.



Creta in lapide J.B. scripsit Ludwiger.

Fig: 2.



Fig: 1.



Creta lapidi inscripsit Bricke.

Tab. IV.

Fig: 1.

Fig. 2.



R

Lapidi inscripsit J. W. Bricke.

Tab.V.



Delineavit Rademacher. *Creta in lapide scripsit Ludwiger*

Tab. VI.

Fig. 2.



Fig. 1.



Creta in lpd. fcpsit. Rademacher.

Tab. VII.

Fig. 2.



Fig. 1



Creta in lap. fript. Ul. Ludwiger

Tab. VIII.

Fig: 2.



Fig. 1.



Creta in lpd. fpst. Ludwiger.

B

Fig: 1.



Fig: 2.

R

Creta in lapide scripsit Ludwiger.



Delv. Kefsler in lapide fcripfit J.W. Brücke.

Tab. XI.



ta in lap. delt. B. J. W. Brücke.

Tab. XII.



Del. J. F. Schröter. *B.* *Creta in lap. sculpt. de Schöning.*

Tab. XIII.

Fig. 2.

Fig. 1.

Secundum icon. Gaet. Malacarne lpd. inscrpt. Brücke.

Tab. XIV.

Fig. I



Fig. II



JR.

Secundum iconem Gaet. Malacarne lapidi inscripsit J. W. Brücke.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 4

B.

Creta in lapide spost. Beckmann.

Tab. XVI.



Creta in lap. del. de Schöning.

Tab. XVII.



Delin. Münz

Lap. inscript. Ludwiger.

Tab. XVIII.

Fig. 1.



Fig. 2.

Creta in lap. delt. Beckmann.

Täb. XIX.

Fig. 1



Fig. 2.



Creta in lap. Delt. Bechmann.

Tab. XX.



B.

Creta in lpd: Lpost: Beckmann.

Tab. XXI.



Delin. C. Laubreis Br. Creta in lap. Jcp. Bechmann.

Tab. XXII.

Fig. 3.

Fig. 2.



Fig. 1.

Ad. nat. del. Roeder.

Lap. inscrp. Ludwiger.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Elben, Ernst

De acephalis sive monstris corde carentibus Diss. acad. anat. physiologica ; cum XXII tabulis lithographicis

Berolinum 1821

4 Diss. 5095#Beibd.3
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11029016-4